IHS

6
22-a
67

6
22 C
16

6-22-c-67

21
c
23 21-c-21

Collg. Rom. Societ. Jesu



MVSAE Pontificiæ Quas Aduerſa Pagina Indicabit.

Catalog. Inscript.

Pariſiis. E typographia Petri Cheualier. via iacobæa ſub ſigno Diui Petri. Cũ Pr. Reg. Aº 1658.

Bibl. Ser.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



HELIOTROPIVM LVYNÆVM
MAXIMO
GALLIARVM SOLI SACRVM.

AD

CAROLVM LVYNÆVM,

Regis Conſiſtorij Conſiliarium, Auguſti cubiculi Præpoſitum ſummum, rei Accipitrariæ, Neuſtriæque Præfectum.

LIBERORVM, librorumque, vt ab antiquis ſcriptoribus alludentibus, ad cognationem nominum, obſeruatum eſt, non diſpar plærumque ſtatus & conditio (Clariſſime) eorum qui Regi propius & penititius aſſident: nam liberis vtroque parente orbatis, à Prætore, & agnatis tutor deligi ſolet, qui tenellas iſtas propagines alant & educent, bona fortunaſque procurent; ſic libris, ſuis patribus auctoribuſque deſtitutis, vſitato more perueteri, ac ſolemni inſtituto, quærendi ſunt Mœcenates, & aduocandi patroni, qui in lucem prodeuntes, vice & ope patria, orphanos derelictos, & quaſi projectos, excipiant, ab impetigine liuoris & maledicentiæ, quæ mala ſcabies, nunc tam crebra eſt & luxurians in litteratura, quàm lolium, tribuli, & lappæ in ſegetibus, vindicent. Cùm verò opus titulo, *Muſæ Pontificiæ*, conſcriptum à gentilibus tuis, Præſulibus GVILLELMIS BLANCIS, quorum duo priores Cardinales fuere, tertius Epiſcopus Tholonenſis, Legatuſque Auenionenſis, poſtremus Vencienſis & Graſſenſis,

Sextique V. Cubicularius, Petro Blanco nepote Protonotario Apoſtolico, Doctore Theologo, Regioq; Eccleſiaſte & Elemoſynario, ex varijs Poematum lacinijs & fragminibus concinnatum conſutumque, mundiſſimis typis Petri Cheualerij, propè excuſſum fuiſſet, ita vt paucæ paginæ deſiderarentur, inauſpicatò accidit, vt huic partui feſtinanti ad lucem, qui eam dabat, ille ipſe Petrus, in Aquitanica profectione, ad Regales Hymeneos, eam ipſam vitæ vſuariam amiſit. Liber hic ſuo obitu propè interijt, & diù in officina tantam orbitatem luxit, latuitque in ſitu & puluere, donec inſpectis aliquot paginis, à tenebris blattiſque vindicandum, nec tam ſaliaribus exquiſitiſque dapibus bellarijſque, Muſarum tineas illas peſtes librorum, paſcendas ſine ſacrilegio putaui. Legi & perlegi, Deus bonè, quam è puro putoque Latio, atque ex ipſo Helicone, verſus vario metro varios, in quibus elegantia & lepos cum pietate certant, nec tam credo, Pontificias Muſas, quàm Regales, dici debuiſſe, cùm cognomines illi Poetæ, ab Henrici IV. præconijs ordiantur, & vt Galli ac noſtrates fuere, ſuæ noſtræque Galliæ panegyrico, natali ſolo debitum vectigal pleniſſimè laudum cumulo exſoluunt, atque poſt hæc patriæ reddita libamina, & obſequia, ex D. Ambroſio, Theodoræ & Marcellinæ virginum, lepore prorſus Ambroſiano, martyrium proſequuti ſunt, vltimus adjecit ſimili cothurno, D. Hyacinti à Clemente VIII. decretam Apotheoſim, ac plura opuſcula quæ operis ſeries ſatis indicat & diſcriminat, vt cuilibet opus ſuum ſingulare conſtet. Vt verò quaſi ex orbita digreſſus in viam redeam, huic libro parentum ope & præſidio deſtituto, ac penè tenebris damnato,

ob curatoris ſui Petri illius, à pluſquã biennio ſublati, obitum nouus erat ſufficiendus: ſed vndiquaque circũſpicienti, nullus certè mihi occurrit, à quo patrocinium & defenſio tutelaris, æquiùs libro pupilari poſtulari debeat, quàm à te, CAROLE LVYNÆE, cui Petrus paulò antequam morte nobis eriperetur, primus tibi fauſta auſpicia precatus & vaticinatus eſt, tibi enim inſcripſit Hieroglyphicum ſymbolum, prænuncium tuæ fœlicitatis, hoc eſt, Heliotropium, explicatum diffuſum, ac rutilans ad radios Solis, pleniſſimo obtutu illud conſpicientis, cuius icone LVDOVICVM XIII. appoſitè & argutè innuebat ſubjecto hoc verſu,

Indignus radijs, ſaltem recubabo ſub vmbra.

Duorum Cardinalium, nepotumque Pontificum Minorum, quos cognatione proxima contingis, gloria, ex purpura Romana, & prolegatione Auenionenſi, ſatis ſuperque celebris, quàm clara tua ſit origo, quàm patricia & vetus, vetuſtatis incorrupto teſtimonio ſatis indicat, inque tua gentilitate, nobilitatem & Muſas ingenitas, ſororeſque indiuulſas ſemper fuiſſe, quæ iure familiari & gentilitio, à te non ſolùm patrocinium, ſed præſidium depoſcunt. Ego verò non vt laudem quærerem, vel fauentiam ambirem, hanc epiſtolam tibi dicatam præfixi, ſed vt manibus tam piorum eruditorumque Antiſtitum & Poetarum, officium præſtarem, ad quod etiam Typographi, de poſtremis duobus Blancis benè meriti, cura & propenſio in litteratos omnes, me alioquin ſatis forẽſibus negotijs, inq; tertio tomo Annalium tunc occupatũ, compulit, amare te verò, fouere, tueri, hos poſt-

humos de gente tua, natura ipſa ſatis te compellit, probitas eruditioque ſuadent, & ego in partem ſollicitudinis me obtuli, affectu laudando in litteras, quarum occaſus, nó aliundè quàm à neglectu cultiorum operum, feci hac epiſtola, quod mali œnopolæ ſolent, vendibili admodum vino, hederam minus comptam & vireſcentem ſuſpendi. Vale, & Deus, tua conſilia ad Religionis, Regis, Regnique columen & incolumitatem diù fortunet.

Tibi addictiſſimus RODOLPHVS BOTEREIVS, *in magno Franciæ Conſilio Aduocatus.*

Ad eumdem Dominum.

HOC licet excultum, *Muſis & Appolline dextro,*
Neglectum amiſſo patre iacebat opus,
Iampridem excuſſum, blattas paſcebat edaces,
Damnatumque alta nocte latebat opus.
Non tulit opprobrium pietas mea, vindico ab vmbris,
Ars typica, optata dat modò luce frui.
Non habet obſcuros humili de ſtirpe parentes,
Pontifices magnos quatuor, illud habet.
Romulei fulsêre duo ſplendore galeri,
Inter purpureos lumina Galla patres.
Pontificalis apex alios, atque infula texit,
Et ſola fuerat purpura vterque minor,
Sixtus, at hanc famulo quintus decreuerat vni,
Sed ſubito hic Sixti *funere ademptus honos.*
Quatuor hos, tibi Pontifices cognatio iunxit,
Et genti & domui non inhonora tuæ.
CAROLE *cura & amor Regis, fidiſsimè Achates,*
Quem bonus, vnum oculo Rex meliore videt.
Pirithoo Theſus, quod erat Patroclus Achilli,
Talis & es Regi CARLE LUYNE *tuo.*
Viue diù charus LODOICO, *ætaſque duobus*
Vobis ſit, Pylio quàm numeroſa ſeni.
Angelus, Arſacidas diros, auertat inuncto
A capite, inſidias dimoueatque truces.

Pax longæua beet ſua lilia, Ciuica Enyo
Exulet, Aſtrea & pulſa reuiſet humum.
Agnatis ſit principibus concordia, nemo
Auſit ſacrilega fœdus inire manu.
Si fremat externus, vincatur protinus hoſtis,
Et ſit Rege omnis bellipotente minor,
Non liuor ſanctum quo te dignatur amorem,
Mendaci violet lingua nec atra ſono.
Hæc voueo, at ſuperi faciles mea vota ſecundent;
Et quia iuſta hæc ſunt, credo habitura fidem.

IN HELIOTROPIVM LVYNÆVM,

HOC EST,

In ſymbolum Nobiliſsimi, Generoſiſsimiq; Domini,
D. CAROLI DE LVYNES Equitis,
Chriſtianiſsimi Regis LVDOVICI XIII.
Cubicularij intimi, & eius ab intimis Conſiliarij;
Amboſiæque Regiæ Gubernatoris fideliſsimi, &
ſui Patroni obſeruandiſsimi.

NVNQVID ſunt croceis halantes floribus horti;
Quis color & virtus cedit, odorque meus?
Æmulus hinc doleo, mihi quod fortuna Nouerca
Sit, fueritve alijs floribus ipſa parẽs.
Sed mihi cur dolor eſt? mihi ſi fortuna Nouerca
Quàm natura fuit nobilitate parens.
Sed mihi cur dolor eſt? fuerit fortuna Nouerca,
Eſt mihi iam Phœbus mater, & ipſe pater.
Me fouet hic Matris, mouet hic me Patris ad inſtar;
Quem veneror Patris, Matris & inſtar amo.
Ergo cur doleam? mihi iam ſi arridet Apollo,
Non auratus erit, lætitiæque color?
Non ridebo, meus mihi iam ſi arridet Appollo,
Sique ſuis radijs me fouet, atque mouet?
Non duo, ſed me vnus fouet, ardeſcitque mouendo,
Intus & vnius luce reſoluo meum.

Me fouet, atque mouet Phœbus, non ſydera parua,
  Nec mihi quàm à Phœbo ſpes opis vlla datur.
Qui fouet, atque mouet me, vel mea, VIVAT APOLLO,
  Occidat hic nunquam, VIVAT APOLLO MEVS.
Occidat at citò, qui Phœbo, ſponſæque futuræ,
  Geneuæ obſiſtit, vel ſtygis ante vapor.
O! poterit nubes, tenebraſque aliquando fugare,
  Qui modò dat Phœbus, ſe mihi poſſe ſequi.
Arte alij flores adament, Phœbumque ſequantur:
  Hunc amo natura, quem ſine fine ſequar.
Cuncta fouet Phœbus, mouet haud tamen omnia nutu
  Quorum vel minimo me trahit, atq; mouet,
Quos mouet æquoreos Phœbus, terræq; vapores,
  Non fouet, at me me Phæbus amore fouet.
Aura alios moueat, Zephiri ſit & aura fauentis,
  Nùm me ſed Phœbi gratior aura mouet?
Iàm qui alios foueat, volo ſit terræ optimus humor,
  Regius at Phœbi me calor ipſe fouet.
O mea Nobilium venit quòd ceſpite radix
  Floreo, quòd vel eam Gallica terra tulit.
Floreo planta, meas hinc vel magis explico frondes,
  Quòd me Gallorum Sol fouet, atque mouet.
Ergò, quid in me vnum, quid agentes murmure venti,
  Sí me vnum Phœbi lumen & aura fouet?
Ergò quid ipſa mihi fueris fortuna Nouerca,
  Eſt mihi iam Phœbus mater, & ipſe pater.
In me Cantaridæ, quid & inclementia cœli?
  Phœbus imago Dei, ME FOVÈT, ATQ. MOVET.

Parmy

L'HELIOTROPE Luynien,

AV TRES-GRAND, ET VNIQVE Soleil des François.

PARMY le riche eſmail qu'on void aux Tuilleries,
Qu'on admire és prairies:
Entre toutes les fleurs dont le Printemps diuers
Tapiſſe l'Vniuers,
Ie ſçay bien qu'en vertu, qu'en odeur, & qu'en grace,
Mainte autre me ſurpaſſe.
Et pleut au Ciel, helas! que i'euſſe quelque part
Aux dons qu'il leur depart.
Que j'eu bien en ce point maraſtre la fortune
Qui fut mere commune
A tant de rares fleurs, dont les conditions
Sont des perfections.
Si tu me fus maraſtre, ô fortune inhumaine,
Ie n'en ſuis pas en peine:
Nature fut ma mere, & ma tige a produict
Noblement fleurs & fruict:

Et puis, mon doux Phebus, qui me meut & tempere,
Eſt ma mere, & mon pere:
En mere il me nourriſt, en pere il a ſoucy
De me mouuoir auſsi.
Ie l'ayme comme mere, & d'vn amour extreme,
Beaucoup plus que moy-meſme:
En pere ie l'honore, & de loing, & de prés
Ie reuere ſes rais.
Hé! dois-je me douloir, puis que Phebus m'enuoye
De ſes rayons la ioye?
Mont teint verd & doré, ceſte gaye couleur
Doit chaſſer la douleur.
Puis que deſſus mon ſein le Soleil ayme à luire
Donc ne dois-je pas rire?
Puis que c'eſt vn Soleil, qui dés ſon Orient
Me regarde en riant:
Dont les puiſſans rayons, & la douce influence
Me conſerue, & m'auance:
Ains me donne la vie, & puis le mouuement,
Mais vers luy ſeulement.
Ah! ie ne ſuis pas meu des eſtoiles menuës,
Lumieres moins cogneües:
C'eſt d'vn Aſtre plus grand, qui reſpand ſa clarté
Par tout le rond voulté.
Phebus, mon cher Phebus, admirable Planette,
O ſplendeur pure & nette!
Puiſſes-tu touſiours luire, et iamais ton Couchant
Ne ſoit veu du meſchant:
Dure eternellement, & que celuy periſſe
Dans ſa propre malice,
Qui ſe veut oppoſer à l'amoureux deſſein
Qui t'embraze le ſein:

Qui veut rompre les nœuds de ces ſaincts hymenees
Tramés des deſtinees.
Mais puis que ton matin eſt ſi chaud, & hardy,
Quel ſera ton Midy?
Si tu peux diſsiper la vapeur qui ſ'eſleue
Sur le lac de Geneue,
Ains ſur l'eau ſtygienne au Printemps redouté,
Que ſera-ce en Eſté?
Fauorable Apollon, la Nature m'incline
Vers ta face diuine.
Ie ne ſuis meu par art, mais naturellement
Ie t'adore en t'aymant.
Le Soleil ne meut pas tout ce qu'il alimente,
Que ſa chaleur fomente:
En moy tu fais les deux, me nourris, & me meus
Où tu vas, où tu veus.
Reçoiue qui voudra de quelque humeur ſa vie,
Ie ne luy porte enuie.
Qu'il ſoit meu des zephirs, ces petits vents legers
Ne ſont que paſſagers.
Vne chaleur Royale, vne puiſſance extrême
Qui dépend d'elle meſme:
C'eſt elle qui m'anime, & ſe daigne abaiſſer
Afin de m'auancer.
Ie ne fleuris pas tant pour auoir dans le monde
Ma racine profonde,
Ny tant pour eſtre eſcloſe en ce François pourpris.
Ie dois eſtre de pris:
Que d'autant que Phebus eſpaniſt mon feüillage,
Et mon rond dauantage.
Ce Soleil de la France en vn temps (il le peut)
Me fomente, & me meut.

Ie ne crains donc ny vent, ny greſle qui s'eſlance
Auecques violence:
Ny Cantaride auſſi, ny tout autre meſchef,
S'il a ſoing de mon chef:
Si Phebus du grand Dieu ceſte image viuante,
ME MEVT, ET ME FOMENTE.

Hæc ludebat humillimus eius ſobrinus, obedientiſſimus, deuotiſſimus, deuinctiſſimuſq; ſeruus PETRVS DV BLANC, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Protonotarius, Doctor Theologus, & Chriſtianiſſimi Regis Conſiliarius, & Eleemoſynarius.

GVILIELMI DV BLANC,

EPISCOPI GRASSENSIS, ET Vencienſis, Sixtique V. Camerarij Honorarij ſanctioris.

PARÆNESIS.

AD HENRICVM QVARTVM Franciæ, & Nauarræ Regem Chriſtianiſſ.

O Qui ſupremi manifeſto numine patris,
Maxime Rex Regum, ſolio ſuccedis auito:
Noſcere quem virtus, quē verum agnoſcere Regem
Relligio nunc vera iubet, ſi pondera regni
Fortè ſinunt, iuſtiſque tibi pauliſper ab armis
Reſpirare datur, fido quos pectore promit,
Haud tenues tenuis ne deſpice Præſulis Orſus,
Imò laceſſitas lituo dà verſibus aures
Mulcendas, & grata tubam mea tibia vincat.
Faxo ego ne tantùm delectet amabile carmen,
Verùm etiam vt proſit; libros dum ſcribere liber
Ipſe queam, maiora à te neque præmia poſco,
Quin hodie antiquo ſacri ſi iure miniſtri
Nudantur, longéque ſuis arceantur ab aris,

Et prædam patiuntur opum, vox libera ſaltem
Reſtet eis, nil voce mihi pretioſius vnquam,
Atque vtinam totus Nymphæ reſonabilis inſtar,
Quæ colit arcanas ſyluas, & concaua templa,
Ipſe abeam in vocem. Vates nam maximus ille,
Quem nobis vtinam vitaque, & morte daretur
Exprimere, occultis iuuenis dum degit in antris,
Voce ſua vocem tantùm ſe prædicat eſſe,
Et ſolo vocis præſigni nomine gaudet.
Ergo tuas aduerte meis hortatibus aures,
Imò tuas aduerte tuis (rogo) laudibus aures,
Te quoties hortor, toties te laudo, monenſque
Quæ facis vt facias, monitu tua comprobo facta.
„ Gratari Reges niſi qui blandimine gaudent,
„Hi dulci gaudent ſua corda inflare veneno;
„Et quicunque ſuis blanditur Regibus, illos
„Prodit, & implicitos non proditor explicat hoſtes.
Te Rege in te vno Reges ego Præſul adhortor,
Non ego tè prodam, neque debeo ſubditus, hortor,
„Præſulis hortari eſt, & non blandimine Reges
„Prodere (pace tua) te Regem Præſul adhortor,
Et monitis curo, tibi non blandimine Regi
Obſequi, & annorum ſeriem tibi corde precari.
Sed quia Regnandi Regum eſt generata cupido,
Eſt vni ſeruire Deo regnare, Tonantis
Ergo priùs ſua regna petas, dabit ille, potiri
Téque tuóſque tuo Regno fœlicibus annis.
„ Rex Gallûm Obſequiis qui Numen adorat auitis,
„Quod regnat minus eſt, quàm quòd regnare meretur.
„A Ioue Principium, Reges quo ſceptra iuuante
„ Firma gerunt, cuiuſque Iouis tutamine tuti,
„Impauidique manent, ſine quo munimina Martis

„ Nulla valent, ſine quo vigilum ſunt vaſta latronum
„ Arma, vel excubiæ, ſine quo tutamen in arce eſt,
„ Scilicet, impauidum, vel toto Regibus Orbe.
Ergo cuncta ſuper, cælorum Numen adora,
Idque precare humilis, tua poſt in vota Mariam,
Aligerûmque choros, Diuorumque agmina poſce.
Flecte tuis precibus diuini Pneumatis auras,
Regalique tuæ inſpirabunt fauſta Carinæ
Omnia, & aduerſos flatus pleno ore fugabunt:
Sed quia cæruleus diuini Pneumatis Ordo
Te meritum caput agnoſcit, Duce pneumate diuo
Non niſi ducat iter tua puppis, & eius amico
Flamine, cærulei facient requieſcere portus.
Dehinc, tibi Relligio vera eſt Romana colenda,
Hæc vna eſt, toto velut eſt Deus vnus in Orbe,
Cætera figmenta, & vafri ſunt Dæmonis aſtus,
Integra Relligio eſt, in partes neſcia ſcindi,
Tota igitur retinenda tibi, qui labitur vno
Articulo totam amittit, nec firma mouetur
Relligio, manet illa loco, ſempérque manebit,
Vt rupes expoſta mari, & ſtridentibus Auſtris,
Quæ circunſtantis violento turbine venti
Nequicquam, & variis circunlatrantibus vndis
Pulſatur: venti tantum franguntur, & vndæ.
Tot quondam atroces inſurrexêre Tyranni,
Nullam intentatam pœnam liquêre, ſuperni
Numinis vt verum poſſent euertere cultum,
Compedibus manicas iunxerunt, fluctibus ignes,
Saxa rotis, fuſti gladium, crucibúſque leones,
Illi omnes miſere perierunt: vna remanſit
Relligio victrix, quæ palmæ nobilis inſtar
Non oneri cedit, ſed plùs oppreſſa reſurgit,

Inſtar & illa croci pede conculcata maligno
Liberius creſcit, ferrique attrita rigore,
Haud aliter, quàm durâ ſilex ſcintillat; & ignem
Concipiunt vni fidiſsima pectora Chriſto.
Quin etiam inſidias omnes eludit, & aſtus,
Arte minus, quàm Marte vnquam ſuccumbere viſa,
Sæpe lupi media repſère in Ouilia nocte:
Iampridem periêre lupi, ſed Ouilia reſtant,
Heu! quibus inſidiis, qua circumuenit & arte
Chriſticolas Princeps legis deſertor auitæ:
Ille ruit tandem telo confoſſus ab aſtris
Emiſſo, & moriens victori inſultat I E S V.
,, Relligio ſemper vincit, nec vincitur vnquam.
Victorem tu te cenſes? ego cenſeo victum,
Quippe pium Gallis Regem Romana petebat
Relligio, durique diu certamina belli
Collata, & vario confuſa eſt Gallia luctu:
Tu pius es tandem, & victus (quia vincier optas,)
Pontificis cadis ante pedes, genibúſque volutis
Suppliciter veniam imploras, pacémque requiris,
Quid verò loquor imprudens? non vinceris, imô,
Vincis, & hac maior nunquam victoria cedet,
,,Solus enim. Chriſto qui ſubdit colla, triumphat,
At quid Relligio non Gallica pectora cogit?
Errore expulſo cùm tu complecteris illam,
Ecce tibi occurrunt populi, Regémque ſalutant,
Et tibi ſe dedunt vrbes, arcéſque pateſcunt,
Vis populi ſit verus amor? ſubmiſsio vera?
Relligio ſit vera tibi, vis ſemper in illa
Corda fide perſtent? In ſancta ſemper I E S V
,,Ipſe fide perſta. Qua regnum acquiritur arte,
,,Arte etiam in plures annos ſeruatur eadem,

„Nec Regnum ſeruare minor quàm quærere virtus.
Eſt tibi vis animi, nec bello cernit, & armis
Maiorem rutilus qui conſpicit omnia Titan,
Tot tibi ſunt palmæ, quot ſunt tibi prælia, nunquam
Impunitus abit, qui ſe tibi cominus offert
Obuius armato, ſeu tu calcaribus armos
Quadrupedis ſpumantis agis, concurris & haſta
Connixus, ſeu diſtricto decernere ferro,
Et latè hoſtili reſpergere ſanguine campos
Ipſe pedes mauis. ô inſuperabilis Heros.
At te non aliùs Martis præſtantior arte
Seu ſit opus faciem informis componere pugnæ,
Diuiſámque aciem quadratum cogere in agmen:
Seu caſtra, atque vrbes tuto præcingere vallo,
Ignitiſque globis hoſtilia mœnia paſſim
Concutere, & validas euertere funditùs arces:
Quòd verò nòn tanta poteſt tua bellica virtus,
Relligio vna poteſt; quos & tua viuida bello
Dextera, & obſidio, atque inopi ieiunia victu
Non quinis domuêre annis, domat vna voluntas
Relligio populos, vix ore, & corde venenum
Euomis hæreſeos falſiſſima dogmata damnans,
Cùm tibi ſe ſe omnes vltrò ſubmittere certant.
„Bellica vis hominum quærit ſibi corpora tantùm,
„Relligio mentes etiam; domat altera membra,
„Altera corda domat: pietas progignit amorem,
„Arma metum: populi metus eſt metuendus, & eius
„Semper amandus amor: ſubiectis parcere virtus
„Regia nec minor eſt, quàm debellare ſuperbos.
Ciuiles ea Relligio pacata tumultus
Comprimit, & veris populos ſe ſubdere mandat
Regibus, ac puras à cæde, & ſanguine dextras

Seruáre, atque piis ſurſùm pro Regibus illas
Tendere cum voce, & Numen cæleſte precari.
Fac, tua iuſſa velint, vt more colatur auito
Chriſticolûm Deus in regno, ſic more colêris
Non vario, atque tuis nuſquam ciuilia Regnis
Bella aderunt, ritu populus ſi vtatur eodem.
„ In quibus oppoſitæ regnis altaribus aræ,
„His etiam oppoſiti Regum ſæpiſſimè cultus,
„Inſtar & hæc Troiæ bellis ciuilibus ardent.
O mihi ſi longo tandem poſt tempore detur
Deſertas pecudes, deſerta reuiſere prata,
Eque aula ad caulam curſu remeare citato,
Commiſſumque gregem diuino paſcere verbo,
Legitimo quoties Regi parere monebo
Subiectos populos, turbas non ampliùs vllas
Concire, at pro te cælo ſuſtollere palmas.
Et cupio, & poſſum populorum pectore in imo
Et proprios Reges, & Regum inſculpere amorem.
Vtilitas ſua quemque trahat, ſua quemque cupido,
Relligio me ſola mouet, quæ Regibus vna
Quò magè amica fauet, cunctis à Regibus vna
Hoc magè amanda venit, ſtudióque colenda frequenti.
Nec tibi ſat coluiſſe Deum, vult ille ſubeſſe
Pontifici Reges, mandat Paſtoribus ille
Deſſerri, ſi fortè ſacris de rebus agatur.
Rex humeros tantùm, ſed nos caput vngimur ipſum,
Et capiti ſubſunt humeri, & ſe ſubdere Reges
Pontifici par eſt; debes tu ſacra tueri,
Non regere: in dubium quoties pia dogmata Chriſti
Vertuntur, variátque fides, decernere noſtrum eſt:
Fas tantùm eſt Regi decreta capeſcere noſtra.
Sed caput eſt capitum, Petri qui in ſede locatus

Antiſtes ſacris vrbem moderatur, & Orbem
Legibus, & Chriſti in terris vice fungitur vnus:
A quo olim Reges attollere ſceptra ſolebant,
Maioréſque tui nomen ſublime tulêrunt:
A quo Paſtores, mitrámque pedúmque neceſſe eſt
Sumere, commiſsíſque Ouibus quæ gramina porgant.
,,Hunc agnoſce pius: Decus eſt, vel gloria Regum
,,Qui norunt Chriſtum, & Chriſti agnouiſſe gerentem
,, Semper in Orbe vices: hunc tu venerare Quirinum
,,Pontificem, illius pedibus quando oſcula ſacris
,,Dimittunt Reges, ſibi tunc diademata cœlo
,,Non peritura parant, ſibi tunc præconia terris,
,,Et pia corda trahunt; illi pietate ſubeſſe
,,Imperium eſt: quorum antiquo tu ſanguine cretus,
Illi etiam Reges ſubmiſſo poplite plantis
Oſcula libabant, illóque equitante per vrbem
Gaûdebant vel fræna manu, vel tangere ſellam:
O quoties eius pro Majeſtate tuenda
Per rapidos æſtus, pluuias, ventóſque, niuéſque,
Per gelidas venêre Alpes, per inhoſpita teſqua,
Iuſtâque collata mouerunt prælia dextra.
O quoties miſêre pij donaria Romam.
Papa fouet pariter Reges, terreſtria & vnquam
Non aufert, qui regna piis cœleſtia defert.
,,Iuppiter ipſe, ſuam non Cæſaris inter ariſtas
,,Apponit falcem, neque debet Cæſar ariſtas
,,Falce ſua remouere Iouis, neque tangere ſacrum.
,,Cum Ioue Cæſar habet, cum Cæſare Iupiter Orbes
,,Diſtinctos, amboque calent ſua limina Regni.
,,Inſtar amet Patris Reges Pater vrbis, & Orbis,
,,Natorumque inſtar Patrem venerentur, amentque,
Quod pater ille pijs cupiat fore ſubdita Regnis

Impia Regna, quibus Chriſti mactatur Ouile,
Vim patiturque Dei ſacra lex, Chriſtuſque negatur.
Quodque pijs cupiat regnis immittere pacem
Diuiſis, ſoleátque etiam componere motus
Regum, vel precibus Reges, ac Regna iuuare
Papa ſuis: en qui modò præſidet omnibus vnus
Chriſticolis, Clemens Ethruſca ab origine ductus
Mane patri ſummo libat puriſſimus Orbem
Cæleſtis cruſti, & ſacro ſe proluit auro,
Inque preces nunquam ceſſat, ſuſpiria corde
Ducit, & aſſiduis humectat fletibus aras,
Vt ſubſit pacata pio pia Gallia Regi.
Gallia iamdudum bellis ciuilibus ardet,
Inque dies tanti creſcunt incendia belli:
Ipſe madet totus lachrymarum flumine Clemens,
Inque dies tantum lachrymarum flumen inundat,
Et lachrymæ exuperant, & cedunt fluctibus ignes,
Gallica Romano reſtricta incendia fletu
Cernimus, vt Clemens lachrymarum militat armis,
Sic ſparſis lachrymis, non ſparſo ſanguine vincit.
O fælix nimium, nimium victoria fælix,
Fælices lachrymæ, ſi quid mea carmina poſſunt:
Nunquam vos æſtas, nunquam ſiccabit & ætas,
Verſibus & noſtris vos omne fluetis in æuum,
Diluuiique inſtar totum complebitis Orbem.
Hic nudis etiam plantis, quibus Oſcula Reges
Prona ferunt, magnóque illas venerantur honore,
It nondum iubare exorto, ſuppléxque remota
Templa adit Exquiliis, aut cæli monte locata
Pro Rege, & regno cumulans altaria votis.
Tu manibus pacem armatis per prælia quæris,
Hic pedibus nudis: quòd non manus enſe coruſcans,

Hoc

Hoc nudi potuêre pedes: pax ecce reperta
Quæſita vt pedibus nudis, itâ nuda, & inermis.
Forſitan & longo voluentibus ordine ſeclis
Tempus erit, Romana hoſpes cùm Gallus in Vrbe
Nudorum hæc incerta pedum veſtigia quæret,
Dicet & inuentis, hæc illa eſt ſemita, nudis
Quam pedibus quondam preſſit ſanctiſſimus Heros,
Vt premeret, noſtros quæ patres bella premebant.
Aſpice, Pontificem tangat quàm magna ſalutis
Cura tuæ, quantóque tui teneatur amore,
Nam velut hùc, illùc currens in Ouilia Paſtor
Errantes viridi pecudes compellit hibiſco:
Sic Paſtorali virga te leniter ille
Ducit, & exultans diuino includit Ouili.
Ingredere ô ſempérque mane, non amplius errans,
Raptori ne præda lupo pinguiſſima fias.
Relligio hæc eadem præſtò Paſtoribus eſſe
Oppreſſis, Regéſque illis ſuccurrere mandat.
Ad te confugio primus, quo non magis alter
Opprimitur, te primus opem, Rex maximè, poſco,
Si tibi Relligio eſt, & ſi mihi iuſta querela,
Da faciles aures, da dextram; audire querentem
Non ſatis eſt, debes etiam releuare jacentem.
En noſtræ rapiuntur opes, arcemur Ouili,
Templa prophanantur, prohibemur limine noſtro,
Inſidiis petimur, nobis erepta facultas
Dicendi ſacri iuris, dominatus & omnis,
Quoque rebellantes Chriſto demittimus Orco,
Extortum hoc nobis fulmen ſibi vendicat alter.
Non ſat erat multis templorum prædia ſacra
Diſtraxiſſe modis, Chriſti impoſuiſſe Miniſtris
Impoſitos varias cenſus auxiſſe per artes,

Ni nunc à propria penitus radice reuelli
Antè putata nimis ſanctiſsima vinea Chriſti
Inciperet, nec non veris erepta Colonis.
Proh! pudor, & noſtri manſura infamia ſecli
Militibus tradi latè vaſtanda profanis?
Impius hæc Regum pia munera miles habebit?
Hæreticus decimas? en queis ſacra vinea ceſsit?
Erige nunc, Henrice, aras, pone aurea templa.
At nos hinc alij longinquas ibimus oras:
Pars Tyberim, pars Benacum veniemus abacti,
Pars Scytiam, & terras diuerſo ſole calentes.
Macte animo, macte & pietate, ô maximè Regum
Maiores aurata tui qui ſceptra tulerunt,
Paſtores ad ſe externos accire ſolebant,
Tu retine indigenas, & quos vis impia belli
Exegit, reuoca, propriáque in ſede repone.
Ille Thomas ortus ducens à gente Britanna,
Et fidens animi, & ſpectatus fortibus auſis
Nec prece nec precio flexus, dum pectore toto
Iura ſuæ ſedis, libertatémque tuetur,
Finibus expulſus patrijs, vnius ob iram
Principis iniuſti, & multum terráque maríque
Iactatus, tandem Gallorum à Rege vocatur,
Et veniens magno excipitur ſacer hoſpes honore.
Quid memorem ſummos ſummis à ſedibus actos
Pontifices? ad ſe profugos quos Gallia vidit,
Vidit, & excepit, meritóque excepit honore?
Qui regni tam magnus honos, quàm dedecus ingens
Pontifices Gallos per regna externa vagari.
Hæc manet Henricum ter maxima gloria Regem,
Gloria non vlli intermoritura diebus.
Ergo age, magnanime ô Princeps, hanc præripe laudem

Principibus quandóque tua de ſtirpe creandis,
Qui populos duro contundis Marte feroces,
Sacrilegos, Henrice, doma, Chriſtóque rebelles.
Quique tui legat admirans annalibus olim,
Poſteritas à te noſtra nos ſede repoſtos,
Reddita, quæ Chriſti fuerant erepta Miniſtris.
Antiqui Reges nos, noſtráque templa ſolebant
Diuitiis augere ſuis: aliena modeſti
Non petimus, iuſtè ſed noſtra repoſcimus ipſi.
,,Quæ dederant illi, tu ſerua: gloria quippe
,,Non ſeruare minor, quàm prædia, opéſque dediſſe.
Hæc fieri mandat pietas, hanc ipſe teneto,
Et vera populos in Relligione tuere.
,,Eſt populi ſincerus amor cuſtodia Regum,
,,Vtque à Regnicolis Reges adamentur, amare
,,Regnicolas norint, neque vectigalibus illos
,,Obruere inſolitis, neque cenſibus oppida, & vrbes
,,Diſpoliare ſuas: generoſi pectora Regis
,,Dedecet ex populi niſi ſanguine plena repleri,
,,Ditari & populi niſi paupertate, nefandum eſt.
,,Clamor it oppreſſi populi ſublimia cœli,
,,Ima ea & penetret generoſi corcula Regis.
Nec ſatis eſſe pium, pietati adnectere par eſt
Iuſtitiam, illa Deum, hæc mortales reſpicit æqua;
Concordes placida populos in pace gubernans,
Quæque eſt his aptè geminis ſuffulta columnis
Imperij moles, manet, æternúmque manebit.
,,AEquæ Regis honos adamat niſi lancis honores
Qua ſine cuique refert nunquam ſua debita iura,
Præmia, vel pœnas, vel vitæ, vel necis ortus,
Vt fugiant peccare boni virtutis amore,
Et fugiant peccare mali formidine pœnæ.

Ergo tuum eſt iuſtas Gallis edicere leges,
Edictas qui præcipiti violauerit auſu,
Hunc caſtiga hominem, & pœna compeſce rebellem.
Viuere vult aliquis rapto? eripiatur iniquo
Vita, ſacras aliquis decimas prædarier audet?
Omnibus inuiſus, ſacer, inteſtabilis eſto.
Crudeles miſcere volunt aconita nouercæ?
Hæ pereant, pretio leges addicere Iudex?
A iuſto iniuſtus damnetur Iudice Iudex.
Vendere vult auro patriam, vult hoſtibus arces
Prodere? plectatur tanto pro crimine miles,
„ Iniuſtos pœnæ maneant, & præmia iuſtos.
In bellis quoque iuſtitiam ſeruare neceſſe eſt,
Et iuſtè ſumenda tibi ſunt prælia, rectis
„ Dexter adeſt, & iuſta fauens Deus arma ſecundat.
Regna tuis Regnis, ſi te, ſi te vrat habendi
Illicitus nimis ardor, odor ſi vanus honorum
Delitiæque velint Regum, te lumine recto
Orbare, vt Diuûm tu puluinaribus orbus
Hinc tandem fias, rutila vel luce polorum.
Mortalem te te eſſe puta, & moritura Potentes
In terris faciunt quæ (ſcilicet eſſe beatos)
Te meminiſſe iuuat, per tot diſcrimina rerum
Tendiſſe in regnum, magis at meminiſſe iuuabit
Te, & tua regna neci debere potentia cenſus,
Quódque ſuis pœnæ ſint multa piacula Regum.
At quia tota fere agnoſcit te Gallia Regem,
Et pauca in populos reſtant tibi bella rebelles,
Suſcipe nunc bellum in Turcas, quo iuſtius vllum
Eſſe nequit, Rege Henrico vel dignius vllum:
Nam ſi atauos longa repetas ab Origine Reges,
Hæc etiam repetenda tibi certamina noſces,

Vt ſceptri, ſic belli etiam digniſſimus hæres.
Iam ſatis Europa Mars ſeuiit impius omni,
Regibus & magnis magno diſcordia motu
Inceſſit ſatis atque ſuper: plus vidimus æquo
In ſua Chriſticolas conuertere viſcera ferrum,
Et ruere armatos in mutua vulnera fratres,
Callidus interea Thraces, Solymæque tyrannus
Latiùs Imperium profert: en Theutonas armis
Inuadit, Romæque iugum ſeruile minatur.
Cur Europæis non pellitur hoſtis ab oris?
Cur non Francorum Iudæa repoſcitur armis?
Hoc opus eſt Henrice tuum: te nobilis vnum
Palma manet, quam grata ſuis tibi ſeruat Idume
Saltibus, egregiámque vni deſpondet ouanti.
Vos animæ illuſtres, veſtro fidiſſima Regi
Pectora, & ambiguæ per tot diſcrimina ſortis,
Per varios regni toties ſpectata tumultus,
Ite Ducis tanti auſpiciis, ite omine fauſto,
Ite, & Francorum veteres renouate triumphos,
Vos armis, precibus nos debellabimus hoſtem.
Qualis dum quondam tendebat Gallica pubes
Abdaridas contrà, ſanctam repetebat & Vrbem,
Abdemarus Biturix Præſul, vel qualis & ipſe
Narbonis paſtor Guilielmus, nomine eodem
Quem refero, inſtructis aderat legionibus vſque,
Talis & ipſe adero, tibi & inuictiſſime Princeps,
Sacra miniſtrabo, virtutem, animóſque viriles
Sufficiam noſtris, & iuſta hortabor ad arma.
At velut Hebræus vates, & legifer idem,
Aëreo Moſes in vertice Montis Orebi
Tendebat duplices ſupplex ad ſydera palmas,
Quando Amalechitum bellum cum gente gerebat

Dux Ioſue, victórque hoſtes dare terga iubebat.
Sic ego Oliueti frondoſo in culmine montis
Sublatis manibus numen cæleſte precabor
Cùm tu ſanguinea miſceris prælia dextrâ.
Et quas ante manus, vt victor ab hoſte redires
Suſtulero in cœlum, tibi cum victoria cedet,
Poſt ego dimittam ad chartam, ſcribámque fugatos
Iudæa Abdaridas tota, Solymámque receptam,
Et tua victuris intextam prælia faſtis.
Semper eris, laudéſque tuas, celebréſque triumphos,
Et famam inſignem memori non eximet æuo
Vlla dies: verſu reſonabunt arma ſonoro
Neſcia conſumi rubigine temporis vnquam.
Interea maiora tibi peragenda ſuperſunt
Prælia, quippe tuis maior ceruicibus hoſtis
Imminet, atque in te iam iam noua fœdera ſurgunt,
Fœdera Tartareas inter iurata Phalanges,
Quæ te cœleſtis prohibere è limine regni,
Æternámque tibi certant auferre coronam.
Hæc ſtabilis manet, & nullis obnoxia ſortis
Ludibriis, hominumque parens, & rector Ieſus
Sanguine quæſitum proprio tibi donat habere.
Hanc tamen infeſti tibi demere Dæmones audent?
Hic opus eſt animi, bella vndique & vndique bella,
Et multo campos compleri milite cerno,
Omnia iam dicam Cocyto erumpere monſtra,
Eumenidas tortos implexas crinibus angues,
Gorgonas, harpyas, ſcylláſque, canémque trifaucem,
Et quam fumiferos ſpirantem faucibus ignes
Antiqui vates etiam finxêre Chymeram.
Victa ſemel rurſus ſe ſe audax hæreſis offert:
Nec mirum, quæ fixa ſuis erroribus hæret

Hæreſis, in pugna ſemper ſi perſtet eadem.
Atque iacens adeo ſeſe negat ipſa iacere,
Haud ſecus, ac ſerpens ſtricto quam vulnerat enſe,
Atque in fruſta ſecat dumoſa in valle viator,
Victa fugit vinci, atque occiſa occidere quærit,
Et truncata caput, cauda tamen vſque minatur.
Regales tueor partes, & primus in hoſtem
Irruo; confoſſum pereat Rex *maxime monſtrum*
Inuiſum Gallis, *ac deteſtabile Monſtrum.*
Et natum Regni tantùm turbare quietem.
Vincendi modus eſt triplex: ſuperabitur à te
Legibus, à nobis verbo, vitáque Magiſtra.
Illa (vides?) omnes irarum effundit habenas,
Torua oculos, & rubra genas, implexáque crines
Anguibus, ex habitu vindicta agnoſcitur atrox.
Vt viſa eſt, periit, ſatis eſt vidiſſe, benignè
Tu potis aſpectu vindictam vlciſcier ipſam:
Offenſis & nota tua eſt clementia maior.
Quid facis iratus, clemens ſi vincere noſti?
Forſan & occurret nimium damnoſa voluptas
Eneruata animos, belli non artibus apta,
Quæ tamen aſſueuit crudelia bella mouere.
,,Qui regnum frænas, Regem frænare memento;
,,Magnum opus eſt tantos Regni *ſedare tumultus,*
,,Maius erit proprios animi componere motus.
Sed citiùs tacitæ comprendam ſydera noctis,
Dulcibus innumeros numeris quàm perſequar hoſtes:
Nec te ideò motus inceſſat: tibi militat æther,
Et faciles adſunt contra noua fœdera Diui.
Mira loquar, ſed vera tamen: cùm poplite flexo
Pro te cœlicolas multa de nocte precarer,
Succubui leni declinans lumina ſomno.

Tunc mihi de ſummo deſcendere viſus Olympo
Rex ſanctus, dextra qui ſceptrum inſigne tenebat,
Hærebat preſſis cui bina corona capillis:
Vna erat ex auro, fulgebat clarior auro
Altera, ſyderibus paſſim cælata coruſcis;
Splendebat duplici lux circunfuſa coronæ,
Cærula veſtis erat, ac cælo concolor ipſi,
Lilia, ſed latè veſti intertexta nitebant.
Regia Majeſtas vultu reſidebat in ipſo,
Diuinum toto ſpirabat corpore odorem.
Gallorum Princeps habitu, veruſque patebat
Cælicola, illum equidem duplici dignabar honore,
Quippe meos Reges, ſed plus tamen omnibus illos
Aſſiduè colui, pietas quos intulit Aſtris.
Compellare virum, atque audire, & reddere voces
Me cupidus cogebat amor, retrahebat at ingens
Me metus, & ſancto reuerentia debita Regi.
Is verò tales verſantem pectore curas
Me prior aggreditur, dictiſque affatur amicis.
O Guilielme, patres cuius, mea caſtra ſecuti
Sunt, & in Albigenûm pugnis, Turcæque, valentes
Et corde & pietate Dei, vel Regis amore,
O Blance, ô Præſul, Patrum ſi clara tuorum
Facta mouent animos, generoſaque cor da Nepotum
Solicitant ſtimulo, Tu ad auitos perge lepôres.
Ille ego ſum Gallûm Princeps Aloyſius, à quo
Henricus longo verum genus ordine ducit
Borbonius, mea progenies, mea maxima cura,
Quem genui terris, & cælo gignere conor
Continuis precibus: tua tu connectere perge
Vota meis votis, illúmque hortatibus imple,
Nam valeant quamuis cæleſtia vota piorum

Attamen

Attamen omnipotens pronas non denegat aures
Demiſsis precibus, puro quas pectore fundunt
In terris homines, ſed ſueuit adeſſe vocatus.
An verò in tenues abierunt irrita ventos,
Mortales mecum Chriſto quæ vota tulerunt,
Vt meus ad Matris gremium quandoque rediret
Borbonius, rectámque viam affectaret Olympo?
O quibus oppleta eſt cæleſtis regia, nuper
Lætitiis, menteſque adeò quàm blanda beatas
Gaudia tentarunt, quàm dulcia carmina læti
Aligerûm cecinêre chori, cùm perdita drachma
Inuenta eſt, natuſque ſui cùm prodigus æris
Clementem ad patrem rediji, cùm vallibus imis
Quæ miſera errabat, pecus eſt in Ouile reducta?
O fortunatos tanto ſub principe Gallos!
Ferrea quo tandem, ferroque aſſueta nocenti
Ceſſabunt, toto naſcentur & aurea regno
Secula, ſecuri traducent libera Galli
Otia, ſquallenti fingent ex enſe ligonem,
Et rigida in curuas conflabunt ſpicula falces
Cede cruentatas, & ſeditione frementes.
Deſeruit quas dudùm vrbes, Aſtræa reuiſet:
Quæque diu iacuit pietas deuicta, reſurget,
Romano ſua conſtabit reuerentia patri,
Et ſua præſulibus iura, & ſua prædia templis,
Sacrilegus pœnam metuens reſipiſcere diſcet,
Rebus & à ſacris vngues cohibere prophanos,
Perque omnes Regni tractus noua templa locabit,
Et vetera Henricus parte inſtaurabit ab omni.
Atque vtinam mea pone ſequens veſtigia quondam
Bellum ingens gerat in Syria, & victricibus armis
Magnus ad horrentis Iordanis fulminet vndas,

Vincat Auum, ſed ſorte nepos: me barbarus hoſtis
Captiuum tenuit: quin libertate recepta
In caſtris æger iacui, vincliſque ſolutus
Corporeis tenues animus ſeceßit in auras.
Ille magis fælix Syrios in vincula captos
Conijciat, nec non ſpolijs Orientis onuſtus
Ad patriam victor redeat, tantique laboris
Præmia cæleſtes referat, ſed ſerus, honores.
Det longùm interea per Gallos iura volentes,
Et pia ſublimi celebrari carmine bella
Gaudeat, inſigneſque vehi ſuper aſtra triumphos.
Dixit, & inſolita abrumpunt mihi gaudia ſomnum.
Somnia ſunt (dices) ſed ſomnia reddere vera
Tu potes, ac ſi te dormitans ſomnio longùm
Quid faciam vigil? & vigilis fortaſſe lucernæ
Splendor erit, qua collucet Phœbeia lampas.
O Henrice ſacri Lodoici Regia proles,
Te inſignem pietate, fide, virtutibus, hortor,
Sed magis vt reliqui Reges hortentur, amentque
Hortari, atque ſequi veſtigia paßibus æquis
Quæ tua ſunt, & recta, vias quæ ſyderis inſtar
Nominis æterni pandunt famæque futuræ.
Nominibus tamen adde tuis noua nomina laudum,
Vt tibi non ſatis eſt dicam (Rex maxime Regum)
Fac diuerſa ſonet, populorum quæ tamen vna
Sit vox, vt patriæ pater admireris in æuum,
Teque patrem vt patriæ meritum tua nomina pandant,
Non tibi tam viuas, populi quàm viue ſaluti,
Te regnante, Dei vigeant cum pondere leges,
Te Regnante, tuis Romana Eccleſia Regnis
Floreat, horribiliſque antris ſe ſe hæreſis abdat,
Te Regnante, ſuis ſedes paſtoribus orbas

Integritate animi, vitæque valentibus imple,
Quique velint, poſsintque lupos arcere ab Ouili,
Ipſorum exemplo, ſermonibus, indole, & auſis,
Te regnante, ſacris reparentur ſumptibus ædes,
Te regnante, polis tyrio velatus amictu
Clarior ordo, ſuum impauidus ius cuique petenti
Finiat, atque malos pœna pro crimine mulctet,
Te regnante, canat coram prædone viator,
Te regnante, Themis non corrumpatur, at illa
Virgo procos fugiat, rectumque ſequatur euntem:
„Te regnante, fores Iani claudantur, in hoſtes
„Aut Chriſti, aut Regni tantùm reſerâre neceſſe eſt.
„Quòd vitam illorum ſit ferre pericula mortis.
Te regnante tuum modo Marte, vel arte niteſcat
Imperium, Muſæque tuis illuſtribus addant
Laudibus has laudes, quòd te te ſtante, iacere
Non ſinis has muſas, quas tu euehis imò iacentes,
Te regnante, ſuo potiatur iure pupillus,
Te regnante, ſuo coniunx viduata marito
Si cauſis oppreſſa fleat, tua fletibus auris
Semper aperta, dolens, viduæ miſerere dolentis,
Huicque faue, liteſque ſuas te iudice vincat.
Te regnante, thoros nemo maculare pudicos
Audeat, infligatque ſuas lex Iulia pœnas.
Te regnante, duella cadant, quique illa mouere
Vel nutu audebunt, illos tua gratia nunquam
Liberet à mortis pœna, quia ſanguine pauco
Multorum redimes animas, harumque ſalutem
Te regnante inopes, miſerique per ora volutent
Te Mecœnatem, te ipſorum dicere patrem
„Nec ceſſent, magni decus eſt ſuccurrere paruis,
„Pauperibuſque pij eſt dare parſimonia Regu.

Te regnante, minor tibi ſit laus carpere laudum
Quàm meruiſſe decus, ſic te pare, te ſine, Regem
Et tua gens Patriæ referet pleno ore parentem.
Sed tibi non ſatis eſt patriæ pater eſſe, parente
Te tua legitimæ potiatur Gallia prolis
Quæ te animo referat, quæ te pietate, cupitus
Delphinas veniet, mea vel ſi aliquando Tonantem
Flectere vota queant, votis Deus annuat opto,
Legitimi hæredis páter vt videaris, vt ipſe
Iam pater es patriæ, modò poſt ego lætus obibo,
„Si mea non fuerint vota irrita. at irrita nunquam
„Iuſta Deus facit eſſe, fauens immo annuit illis.
Delphinas ergo ſolio ſuccedet auito,
Gallia clamet io, tandem patris æmulus oris
Liligeris veniet, qui patris filius inſtar
Nouerit audaces aliquando fugare rebelles,
Siue bonos donis cumulare potentibus auro,
Siue ſuo tremulum totum Orbem reddere nutu,
Siue ſua nomen patriæ patris ipſe mereri,
Et laudes quas terra, aër, quas pontus, & axis
Huic ſine fine parant meritas, ſine fine futuras.
Sed quia ad exemplum Regis componitur Orbis,
Inque illum cuncti ſua ſemper lumina figunt,
Plebiculæ neuis ſua geſta carere neceſſe eſt.
Intus & extrà illum vel Maieſtate nitere.
Majeſtas, vultus Regis comitetur amicos.
Majeſtas, greſſus Regis comitetur euntis.
Majeſtas, linguam Regis comitetur & auſus.
Majeſtas, Regis licitos comitetur amores.
Majeſtas, binos Regis comitetur ocellos.
Et tua Majeſtas comitetur munera Regis.
„Majeſtas Regi frænum eſt, ſed calcar eunti

„*Ad virtutis iter : tituli, neque nomina Regum*
„*Majeſtate carent, careant neque pneumata Regum,*
„*Majeſtate trahunt humiles, retrahuntque ſuperbos.*
Me tua me traxit totum, totum, vnde loquendi
Hæc mea libertas, qua te te ſubditus hortor,
Imò tuis meritas laudes ego laudibus addo.
Sed quòd & in te vno Regni inclinata recumbunt
Pondera, poſcenti neruos tibi numen ab alto
Addet, virtutes modò tu virtutibus addas.
Et tibi non vires deerunt, modò carmina ſexus
Fœminei haud furtim rapiant, muliebribus auſis
Fac tua Majeſtas Regalibus imperet auſis.
„*Dedecet inuictos Reges à carmine vinci*
„*Fœmineo, hæc tantùm poſſunt, quia poſſe videntur.*
„*Hæc fuge: namque ea ſunt fugientibus irrita ſolis,*
„*Imò decus dare terga illis ſua, Regibus amplum*
„*Vt decus eſt toto vitæ prudentibus vti*
„*Conſilijs, etiam belli vel tempore pacis.*
Te tibi conſulito: ſed prudentiſsime Regum
Neſtoris etſi animo tu ſis prudentior omni,
Cæptorum tamen optato ſi fine potiri
Corda aliquando velint, tua vel ſi nomina ſeclis
Venturis memoranda diu ſine fine peroptes
Illa dare, ô Regum quamuis ſis regula, Regem
Te tamen haud vnquam pudeat prudentibus vti
Conſilijs belli, vel pacis, & æris, & aræ.
Sicque tibi bello, tibi pace, & in ære, & in aris
Proſpera cuncta cadent, nec & impræuiſa malorum
Pondera quædam aderunt, totius & arbiter Orbis
Hinc eris, vt toto modò terror haberis in Orbe.
Interea ſalue rerum ſpes magna mearum
Et ſponſæ tutela meæ, ſalue inclite princeps,

Iuſtum amor, iniuſtumque metus, quem ſuſpicit Orbis
Terrarum, ſequiturque pari victoria greſſu.
Sis fœlix, regnoque diu dominare volenti,
Nec te prauorum ſicæ, nec toxica lædant,
Inſidiæ ſemper pateant, pœnaque ſeuera
Infœlix pereat, qui tecta parauerit arma.
Viue pius, iuſtuſque ſimul: proſterne rebelles,
Quicumque at colimus Regem, & ſummitimur vltrò,
Suſcipe nos, mitiſque foue, fortiſque tuere,
Nec regno nos indecores, nec dicet inertes
Gallia, victurum de te perſcribere carmen
Poſſumus, & iuſtas ſub te præſcribere leges.

EIVSDEM GVILIELMI DV BLANC Epiſcopi Graſſenſis, & Vencienſis, Sixtique quinti Camerarij honorarij, Sanctioris Epigramma.

ÆNEIS TYPIS INSCVLPTVM IN effigiem Henrici Regis Franciæ & Nauarræ, quæ paſſim per Italiam vna cum Epigrammate circumfertur.

Quem tota armatum mirata eſt Gallia Regem,
Mirata eſt etiam Roma beata pium.
Magnum opus eſt armis ſtrauiſſe tot agmina; maius
Pontificis pedibus procubuiſſe ſacris.

EIVSDEM ALIVD ALTERI effigiei ſubiectum.

Hic vultu Henricus fictus ſi territat hoſtes
Armata verus quid facit ille manu?

Nec minor eſt tanti in victos Clementia Regis,
In debellandos quàm furor ante fuit.
Ipſe metum furor, at clementia gignit amorem,
Inque vicem certant hinc amor, inde metus.
Certè audax plerumque metus non cedit amori,
Omnia qui vincit, ſed mage vincit amor.

FINIS.

S. D. N.
SIXTO QVINTO PONTIfici maximo.

EIDEMQVE MVNIFICENTISSIMO Mecœnati ſuo.

GVILIELMVS DV BLANC SVÆ SANCTItatis Camerarius intimus.

SOLONEM legum ſcriptorem prudentiſſimum dixiſſe accepimus, Beatiſſime Pater, Remp. duabus rebus contineri, pœna, & præmio, iiſque ſublatis ne punctum quidem temporis ſubſiſtere, ſed penitùs labefactari, atque conuelli; vt non immeritò Antiſthenes Philoſophus ei ciuitati, in qua nullum inter probos, & improbos, ſtrenuos, & ignauos diſcrimen eſſet, perniciem, & exitium minaretur: & illius præceptor Socrates tandem fore diceret, vt pœnis, & præmijs ſublatis, & ipſi tollerentur è Rep. boni, cùm auctore Vlpiano boni non ſolùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficiátur. Nam Reſp. è malis, & bonis cùm conſtet, niſi illi ſuppliciorum metu a ſcelere reuocentur, iſti verò præmiorum ſpe ad virtutem alliciantur, & iſtorum langueſcet induſtria, & illorũ in omne facinus prorumpet audacia; vt non plùs interſit Reip. maleficia inulta

inulta, impunitaque non dimitti, quàm virtutum præmia merentibus tribui; quibus etiam ſi careat, tamen ſit ſeipſa contenta virtus, ſibi ipſa merces pulcherrima, præmiumque ampliſſimum. Et verè dictum eſt à Poëta.

Oderunt peccare boni virtutis amore:

Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

Ac (ne externa ſemper, & antiqua, ſed vt noſtra aliquando, & hodierna, eaque forſan illuſtriora proferamus exempla) quod illi ratione, & oratione, Tu reapſe, & actione veriſsimum eſſe declaraſti: Nam vbi primùm ad Chriſtianæ Reip. gubernacula ſediſti, in facinoroſos homines, qui tunc temporis Vrbem ſeditionibus, latrocinijs vias, agros excurſionibus, adulterijs domos, templa ſacrilegijs, & cæde complebant omnia, ita grauiter animaduertiſti, vt intra paucisſimos dies aut illis Italiam, aut illos certè Italiæ ademeris, eiectiſque ſceleribus virtutem reſtitueris; vt quemadmodùm olim ob reſtitutos bonos mores S. P. Q. R. Conſularem ſtatuam in Senatu Marco Catoni erexit, ſic hodiernis temporibus idem Tibi Patri Patriæ, & Liberatori Pontificiam ſtatuam multò iuſtiùs in Capitolio ſtatuerit. Neque verò hac in parte tantus fuiſti, vt in altera Reip. defueris, neque Te minùs erga bonos facilem, & beneficum, quàm in flagitioſos vehementé, & inexorabilem præbuiſti. Quorum enim vel ante Pontificatum in tractandis negocijs Tuis fidem, & diligẽtiam perſpexeras, aut eruditionem, & integritatem cognoueras, vel quos etiam poſteà beneuolentia Tua dignos iudicaſti, omnes honoribus, præmijs, atque ſplendore decoraſti, vt acerrimo præditus iudicio in

expendendis cuiuſque meritis, ita eximia liberalitate in remunerandis. Proſpexeras enim pro ſumma illa prudentia Tua, tributum priuato homini præmium non illius tantùm commodo cedere, ſed longè, lateque ſe pandere, ac vnius pœnam, & præmiũ in vniuerſam Remp. diffundi. Nam quemadmodùm fulmina paucorum periculo iaciuntur, omniũ tamen metu: ita vnius pœna metus eſt multorum, vniuſque præmium ceterorum inuitamentum. Dicam ingenuè (etſi non libenter facio, vt de me ipſe loquar) ſi quæ ſors cecidit mihi, alteri cecidiſſet, ſi vt clariùs dicam, quibus me præmijs affeciſti, alterũ eandem ob cauſſam affeciſſes, ita me ames, SIXTE Pontifex, niſi optimi Principis munificentiam dilaudaſſem, niſi aliena me virtus ad idem faciendum ſtimulaſſet, & excitaſſet. Scio, Beatiſsime Pater, quàm lubrico, & difficili in loco mea verſetur oratio, meque in eas anguſtias adduci, vt in Scyllam incidam cupiens Charibdim declinare. Nam vel in me aliquid agnoſcam oportet, quod me apud Te gratioſum fecerit, vel grauiſsimo iudicio, quod de me feciſti, non acquieſcam: & hoc improbitatis, & illud ſtultitiæ, vtrumque verò à ſenſu meo maximè alienum. Neque enim is ego ſum, qui in Principis longè ſapientiſsimi de me iudicia curioſiùs inquirere aut velim, aut debeam, ſed eniti potiùs, vt conceptam de me opinionem ſi non vincam, at ſaltem ſuſtineã. Verùm meæ mihi conſcius tenuitatis nihil in me video, quod Tua me beneuolentia dignum efficere potuerit, & quæ in me contuliſti beneficia, ea ſummæ humanitati Tuæ accepta refero. Nullam equidẽ in me doctrinam cùm agnoſcam, agnoſco certè in-

genitum doctrinæ amorem, eamque tanti apud Te eſſe, vt in me ipſum etiam doctrinæ amorem amaueris. Nam quemadmodùm natura comparatum eſt, quos vehementi amore proſequimur, eorum etiam amantes vt amemus, & ſi quæ vſquàm imago, & effigies appareat, in eam perinde ac in viuam, & ſpirantem illorum faciem figamus obtutum: ita tanto Te virtutis ſtudio teneri dicendum eſt, vt illius etiam in me vmbram, & imaginem non aſperneris. Neque verò hæc virtutis, & doctrinæ modò adumbrata ſigna, vſus, & ætatis progreſſu ſenſim exprimi, & perpoliri poſſe diffido. Quod autem mihi tribuiſti præmium ampliſſimum, in vniuerſam Remp. literariam redundabit, & Tibi immortali futurum eſt gloriæ, quod mihi nunc eſt ornamento. Multa iam feciſti, plura etiam facis in dies, & plurima Te facturum ſperamus ad ſummi DEI glóriam, vtilitatem publicam, & maximam nominis Tui celebritatem, quæ publicis literis, monumentiſque, conſignabuntur omnia: ſed & illud non indignum, quod Annalibus Tuis addatur, SIXTI V. temporibus exſtitiſſe in Vrbe bullatũ prætextatũque Gallũ qui vno aut altero oblato opuſculo, plus etiam virtutis, quàm eius nobilitatis auitæ habita ratione, ſola Optimi Pontificis benignitate, in illius gratiam veniſſe, ac nihil huiuſmodi ſperantem, ſed ne cogitantem quidem die poſtera ad ſacri Cubiculi penetralia adſcitum, & in intimorum Cubiculariorum (quos honorarios appellant) à viris Principibus ambitum Ordinem, ipſum vltrò cooptatũ, ac (vt ſpero) ijs omnibus, quæ ad tuendam dignitatem faciunt, breui cumulatum. Et verò, Sanctiſſime Pater, cùm ex alijs nationibus

plerique omnes in ſacro Cubiculo militarent, ex vna Gallia nullus, potuiſſet illa filia primogenita, eaque non ingrata, velut inofficioſæ cuiuſdam donationis aduerſus ſuperiorum Pontificum diſpoſitiones querelam inſtituere, & vt in ſacroſancto Cardinalium Collegio, in ſacro Rotæ Auditorio, ita etiam in ſacro Cubiculo locum ſibi poſtulare. Sed Tu communis omnium parens obſequentiſſimos liberos Tuos æquo iure cenſuiſti, & quod ab alijs ſtudioſè ambitur, id Franciæ vltrò detuliſti, ac illius præteritionem ab alijs Pontificibus factam honoris quodam auctario compenſaſti. Habeo igitur quod Tibi cum alijs debeam: quod Gallum elegiſti, hoc mihi commune cum Gallia, quæ præſenti carmine agit Tibi gratias immortales: quod ſtudioſum, hoc cum literatis, quorum exſtabunt monumenta ad memoriam nominis Tui ſempiternam: quod me vnum ex omnibus Gallis, & ſtudioſis, hoc mihi verò proprium, & peculiare eſt, ob quod ſingulare beneficium, feciſti (quod Furnius Auguſto Cæſari dicebat) vt & viuam, & moriar ingratus, cui paria facere nunquam potero. Quod vnum poſſum, puriſſimas animi mei de Te cogitationes, flagrantiſsimum Tui ſtudium, & cultum, conſtantiſsimam Tibi fidem, & perpetuam erga Illuſtriſsimam Perettorum gentem obſeruantiam ad Beatitudinis tuæ pedes prouolutus offero: & quantùm parenti optimo filius obſequentiſsimus, Summo Pontifici vir Eccleſiaſticus, domino colendiſsimo ſeruus fideliſsimus, Mecœnati munificentiſſimo alumnus deditiſsimus debere poteſt, tantùm Tibi me ipſe debere profiteor: ac illud ſummoperè enitar ſemper, vt in Te colendo pares habeam pau-

cos,inferiores plurimos,ſuperiorem neminem:quoſque tempore priores habeo, vt illi fide, & diligentia ne me habeant poſteriorem. E ſacro Palatio Tuo Idib. April. 1587.

AD GVILIELMVM DV BLANC
SANCTISSIMI D. N. SIXTI QVINTI
Cubicularium intimum.

Aurelij Vrſi Romani Anagramma.

GVILIELMVS BLANCIVS.
LVMEN GALLIS CIVIBVS.

Virgilius Latijs, Graijs illuxit Homerus,
Tu LVMEN GALLIS CIVIBVS *exoreris.*

AD SANCTISS. D. N. SIXTVM V. PONT. OPT. MAX.

GVILIELMI DV BLANC, SVÆ Sanct. Cubicularij intimi

GALLIA.

ILLA *ego, quæ quondam domui victricibus armis*
Extera Barbarico ſubdita regna duci:
Quæ potui gentes olim frenare ſuperbas
Iuſtitia, victas ſub mea iura trahens:
Aëra quæ magnum impleui clangore tubarum,
Claſſe fretum, terras milite, laude Polum:
Illa ego, quæ ſolis precibus non neſcia vinci
Pro tot finitimis Regibus arma tuli:
Viribus externis quæ neſcio vincier vnquàm,
Sola mei victrix, ſi modò victa forem:
Illa ego, quæ ſolo quondam pietatis amore
Ducta, meas duxi trans freta vaſta rates:
Reſtitui quæ ſacra ſacris, ferroque coëgi,
Vt Turca imperio viueret ipſe meo:
Atque ad me redij ſpolijs Orientis onuſta,
Præfixi & ſacris parta trophæa locis:
Illa ego, Romanos PETRI *quæ ſede locaui*

Pontifices, proprijs reſtituique bonis:
Et pulchram petij per aperta pericula mortem,
Si moritur, qui vult pro pietate mori?
Illa ego, quæ claras colui ſtudioſiùs artes,
Seu Bellona tuas, ſiue Minerua tuas:
Illa ego, quæ ſemper niuei candoris amica,
Et quæ de lactis nomine dicta fui
Gallia (ſed ſat erat ſolum præmittere nomen)
Grandior ad patrios accido nata pedes.
Atque colo te, SIXTE *parens digniſſime cultu,*
Et pedibus ſupplex oſcula figo tuis.
Aduentum fortaſſe meum miraberis ipſe,
Quòd ſubeam externos fœmina ſola Lares.
Quòd penetrem duros montes, & inhoſpita teſqua,
Pigra nec inceptum bruma retardet iter.
Sed mirum non eſt: ſum fœmina nomine tantùm,
Cetera mas: odi molle virago genus.
Inſolitos ſoleo ſola exantlare labores,
Poſſum ego & Alpinas exſuperare niues.
O! quoties gelidas victricia ſigna per Alpes
Ipſa tuli, caſus ſuſtinuique graues.
En erit illa dies vnquàm, mihi bellica quando
Auſpicijs liceat ſigna mouere tuis.
En erit, vt tandem ciuili libera motu
Extera ſub SIXTO *Principe bella geram.*
Seu canis arentes exurat Sirius agros,
Seu rigeat duro terra coacta gelu,
Seu denſi obſcuro fundantur ab aëre nimbi,
Seu grauis æthereo perſonet axe fragor,
Ipſa æſtus, hyemem, pluuias, cœlique fragorem,
Vimque omnem didici pertolerare libens.
Et mihi ab aduerſo via ſi præcluditur hoſte,

Præcluſam ſoleo ferro aperire viam.
Sed via tuta fuit, veni ſecura, nec vllus
Prædo oculos vſquàm conſtitit ante meos.
Per nemora, & ſaltus veni, perque inuia ſaxa,
Et ſecui celeri, flumina larga, rate.
Sed nemora, & ſaltus, ſed & inuia ſaxa quieſcunt,
Et tranquilla fouet, flumina larga, quies.
Omnia tuta ſilent: tutus venator in altis
Montibus intorta cuſpide figit apros.
Fluminis in longo piſcator margine tutus
Pendula fallaci contegit æra cibo.
Tutus & vmbroſis in ſyluis callidus auceps
Incautas ficto carmine fallit aues.
Summo mane vocat deſertis tutus in aruis
Ruſticus auerſos ſub iuga dura boues.
Tutus & in pratis tenui proludit auena
Imparibus paſtor carmina iuncta modis.
Et vidi, & memini: neque tantæ incognitus auctor
Pacis: ſub SIXTO *paxque quieſque vigent.*
SIXTVS *ſic placida Auſonios in pace gubernat,*
Aurea Saturni ſecula vt eſſe putem.
Piſcator tua, SIXTE, *ſuo, venator, & auceps,*
Ruſticus, & paſtor carmine facta canunt.
Auctorem agnoſcunt pacis, patriæque parentem,
Et columen dicunt, præſidiumque ſuum.
Cuncta ſonant SIXTVM, SIXTVM: *te* SIXTE *receſſus,*
Syluæ, agri, montes, flumina, prata ſonant.
Garrula dumôſis habitans in vallibus Echo
Carmina vicinis collibus icta refert.
Quæ vidi his oculis, quæ demum his auribus hauſi,
Hæc loquor: an credam ſenſibus ipſa meis?
At fortaſſe voles veniendi quærere cauſſas,

Fecerit

Fecerit externas me quid inire vias?
Tanta mihi SIXTVM *fuerit quæ cauſſa videndi,*
Dum rabida belli ſeditione premor?
Expediam paucis. Mihi quæ tranſmiſit alumnus
Perlegi facili carmina ſcripta manu,
Carmina cordatum SIXTI *teſtantia pectus,*
Carmina venturæ poſteritatis opus.
Fama meas illo cum carmine venit ad aures,
Fama tuum toto qua vehit Orbe decus;
Te iuſto iniuſtos ferro domuiſſe latrones,
Te Latium Latio reſtituiſſe tuo.
Te vitijs ſanctam purgaſſe atrocibus Vrbem,
Armatis ſicas eripuiſſe viris.
Quæque exſul terris in Cælum Aſtræa volarat,
E Cælo in terras te reuocaſſe Deam.
Te latas ſtrauiſſe vias ad templa remota,
Quæ populus toties relligioſus adit.
Te priſca ingentem minitantia templa ruinam,
Et templis ritus reſtituiſſe ſacros.
Prima noui templi te fundamenta locaſſe,
Tullus vbi excubias egerat antè ſuas.
PAVLO *Antoninum te ſummæ in Cochlidis arce,*
Nec non Traianum ſuppoſuiſſe PETRO.
Arcu conuexo duxiſſe in culmina montis,
Qui ſonat arguto murmure riuus aquæ.
Obſcuris auulſa locis immania ſaxa
Ante Palatinas conſtituiſſe fores.
Plurima perpaucis te perfeciſſe diebus,
Maiora inque dies perficienda tibi.
Inueni veniens nudas ſua membra puellas,
Sed tamen illæſa virginitate graues,
Quæ properis altas ſuperabant curſibus Alpes,

E

Nullum humeris inerat vel leue veſtis onus.
Fallor, an antiqui Charitas dixere Poëtæ?
Tres etenim vidi nexibus implicitas.
Illæ alacres ibant SIXTI *benefacta canentes,*
Cui Pylij optabant ſecula longa ſenis,
Sperantes maiora ſibi,neque maxima SIXTI
Ceſſantes varijs dicere facta modis.
Vix ego credebam; tot enim quis credere poſſet?
An non hæc poterant exſuperare fidem?
Perrexi viſura, meis ſed credere nondùm
Poſſum oculis, viſus luditur an ne meus?
Quæ video? cuncta hem! video ſuperantia famam,
Omne omni video carmine maius opus.
En vt ſub SIXTO *Laurentia regna quieſcunt?*
Vt pax compoſitis motibus alma viget?
En vt abeſt toto infeſtus graſſator ab agro?
Vt carpit tutum nocte viator iter?
En vt abeſt tota immanis ſicarius Vrbe?
En vt abeſt tota fur regione latens?
En vt pacificè degit cum coniuge coniunx,
Cum genitore puer, cumque ſorore ſoror?
Vt metuunt omnes ad iurgia ſoluere linguam?
Vt metuit coniunx fallere iura thori?
En ſimplex virgo tedas exoſa iugales
Vt viuit nullis ſollicitata procis?
En vt ſub SIXTO *recidiua Aſtræa reſurgit,*
Nec prece, nec precio flectier illa poteſt?
En vt præſcriptis moderatur Legibus Vrbem
SIXTVS, *& vt Romæ priſtina Iura nouat?*
En vt deterret prauos formidine pœnæ?
Vt dignis defert præmia digna viris?
En vt prima noui ponit fundamina templi

Splendori antiquum reſtituitque ſuo?
En vt conuexa teſtudine ducit in Vrbem
Illimes riuos proſilientis aquæ?
En vt cliuoſi complanat culmina montis?
Vtque breui longum tempore ſternit iter?
En antiqua velut veterum ſimulacra Deorum
E Capitolina deijcit arce pius?
Quæ facies Vrbis? ſecli quis vertitur ordo?
Nunc Vrbs hoc maior, quò fuit antè minor.
Qualis Roma modò? quantùm mutatur ab illa
Romæ, quæ vanos vana ſecuta Deos?
Cùm mea gens nondùm veræ pietatis amica,
Imperio nondùm nobilitata meo,
Nocte ſub obſcura Tarpeiam irrupit in arcem,
Excubiæ ſomno dum iacuere graui,
Atque anſer rauco ſoluit ſtridore ſoporem,
Et vigili Brennum prodidit ore ducem:
Tunc Vrbem miſeram temerarius error habebat,
Exitiale nefas, impietaſque grauis.
Nunc verò excuſſa errorum caligine, felix
Reſplendet veri cognitione Dei.
Nunc puris addicta ſacris ſub Principe SIXTO
Iuduperatorum futile ridet opus.
„Tempore mutantur populi, mutantur & vrbes,
„ Et tacitum tacito tempore tempus abit.
Cæſaris en Obelus fama ſuper æthera notus
Obrutus aggeſto rudere vt antè fuit?
Cæſare maioris nunc iuſſu Principis ipſe
Conſpicuo erectus ſurgit in aſtra foro.
Quodque ſuperſtitio ſibi grande erexerat olim,
Nunc eſt diuinæ Religionis opus.
Cæſaris interijt faſtus: ſub Cæſare natus

CHRISTVS, *ſub* CHRISTO *Cæſar & ipſe perit.*
Diuinos Cæſar ſibi decernebat honores,
Qui tamen humanæ conditionis erat.
CHRISTVS *factus homo grauida genetricis in aluo,*
Sed qui non ideò deſiit eſſe Deus.
Hic eſt, ille fuit, tenueſque euaſit in auras:
„ *Ipſa ſua tandem gloria mole ruit.*
At CHRISTI *maior ſuperas ſe tollit in auras*
Gloria, nec caſu corruit illa graui.
Cæſaris è tumulo tibi, CHRISTE, *renaſcitur ingens*
Gloria, quæ mortis neſcia viuet anus.
O moles miranda diu! mirandus & auctor,
In medium qui te tranſtulit arte forum,
Sed nouus en prodit ſuperas Obeliſcus in oras,
Qui fuit aggeſta contumulatus humo?
Maximus in Circo latitauit Maximo, & vni
Nunc eſt inuentus, Maxime SIXTE, *tibi.*
Felix ò nimirùm felix Obeliſce reſurgis:
O! quantò eſt melior ſors tua ſorte tua?
Tu cæcis tenebris incognitus antè iacebas,
Nunc clarum è tenebris exſeris ipſe caput.
Et priùs occulta occultum quem vallis habebat,
Nunc mons in Cæli Cælius aſtra feret.
Te Solis nato ſacrauit vana vetuſtas,
Sed Solis patri nunc eris ipſe ſacer.
Longæuo fueras moles inſcripta Rhameſti,
Quod lateri inciſæ continuêre notæ.
Longæuo SIXTO *nunc inſcribenda, quòd ille*
Ad Lateranenſem te iubet ire domum.
Ille facit, longos vt ſtes immota per annos:
Illi tu longi temporis omen eris.
O felix iterum moles, celebrandaque cultis

Vatibus: ò! quæ te carmina docta manent.
Carmina, quæ nunquam poterit delere vetuſtas:
Carmina non vllo deperitura rogo.
Vt neque ſaxa iacent, ſic nec iacet inclyta virtus:
Qui lapides tollit, tollit & ille viros.
Hinc fortuna procul, procul hinc conficta Chimæra,
Si modò quod nihil eſt, hinc procul eſſe poteſt.
Fortunam cæcam cælo tu Roma locabas,
Fortunà cæcâ tu mihi cæca magis:
Immò oculata nimis, nihilum quod Roma videres:
Quin cæca omnino, ſi nihil ipſa vides.
Nil fortuna fuit, nihil eſt, nihil ipſa futura,
Aut nihilo quicquam ſi minus eſſe poteſt.
Vna etenim virtus illa eſt, quæ Principe SIXTO
Non ita ſublimes tollit in aſtra viros.
Illa beat meritos, meritis & honoribus auget,
Diuitias confert, pauperiemque leuat,
Muneribuſque fidem, ſibi conſtantiſsima, ſeruat:
Et quos clarificat, ſemper amica fouet.
Vt SIXTVM *illa fouet,* SIXTVS *ſic confouet illam,*
Nec patitur longo delituiſſe ſitu.
SIXTVM *effert virtus, virtutem* SIXTVS *& effert:*
Hæc dat, & ille capit: hic dat, & illa capit.
Res mage mira mihi, & nunquam ſperata videri
Seſe nunc oculis obijcit ipſa meis.
An ne meos mendax oculos deludit imago?
An ne mihi Morpheus ſomnia vana facit?
Ecce ſacræ Muſæ media verſantur in Aula,
Non iam Parnaſſum, non Helicona tenent.
Euge Palatinæ tandem ſaluete Sorores:
Aulica nunc ſalue, ruſtica turba priùs.
Antè nemus vobis, valles, & rura placebant:

Nunc rus, & vallis,diſplicuitque nemus:
Antè Meduſæos fontes habitare placebat,
Nec non Aonij culmina ſumma iugi.
Nunc Vaticani placuere palatia montis:
Aureus hic locus eſt, laureus ille fuit.
In Vaticano, Muſæ, feliciter eſte:
Conuenit vt veſtris Vatibus iſte locus?
Hic igitur quoniam iuſsit vos ſiſtere SIXTVS,
Siſtite, nec veſtris derit Apollo choris.
Nam præerit SIXTVS *vobis, cantumque præibit*
In medio reſidens alter Apollo choro.
Non deeruut fontes;riuos nam SIXTVS *in Vrbem*
Deduxit: fontes proſiluere noui.
Immò Quirinali fontes in monte parantur,
Ipſa Caballinum quem modò Roma vocat.
Non deerunt horti; SIXTVS *ſibi fecerat hortos,*
Et Vaticano nobilis hortus ineſt.
Non deerunt montes; ſepteno Vrbs vertice ſurgit,
Et triplicis montis ſtemmata SIXTVS *habet.*
Chalcographi haud deerunt, cudant qui carmina veſtra;
In Vaticano collocat ille typos.
Hic igitur SIXTI *imperio conſidite, Muſæ,*
Nec paupertatis vos graue mergat onus.
Vos ſciat ille inopes, mendicas neſciat vnquàm.
Spem non exiguam vos agitare iubet,
Sperate, atque bonis voſmet ſeruate futuris:
Vos ſola SIXTVS *voce beare poteſt.*
En & alumnus adeſt? Et tu chariſsime ſalue,
Quem foui blando mater amica ſinu.
Principis vt SIXTI *celeberrima facta viderem,*
Hùc veni numeris ipſa vocata tuis.
Quàmlibet immenſo deſcribas carmine SIXTVM,
Res eſt carminibus grandior ipſa tuis.

Et cieas Charitas, moueaſque Helicona virentem,
Excedunt grates tot benefacta tuas.
En quales, quantoſque tibi largitur honores
Præcipuo Princeps dignus honore coli?
En vltrò tete admittit penetralibus Aulæ?
An non exſuperant ſpem benefacta tuam?
Hunc, fili, venerare libens, dum vita manebit:
Fac etiam viuat gratia morte tua.
At tibi, Sancte Parens, cui Gallica natio curæ,
Et cuius felix exitus acta probat,
Munere pro tanto dignas perſoluere grates
Certè equidem noſtræ non opis eſſe reor.
Sed ſaltem memori benefactum mente repoſtum
Hærebit, grates & tibi ſemper agam.
Et populus ſummo Phœbus quem proſpicit ortu,
Me non ingratam ſentiet eſſe tibi.
Quique premit duris Tarteſsia littora plantis,
Me memorem tanti muneris eſſe ſciet.
Quique eſt extremi gelido ſub cardine mundi,
Vni deuotam me ſciet eſſe tibi.
Quique habitat Cancri combuſtam ardore Syenen,
Me memorem tanti ſentiet eſſe boni.
Non me, ſomniferæ biberem ſi pocula Lethes,
Immemorem facerent muneris illa dati.
Explora quæcunque voles, ego iuſſa capeſſam,
Vt poſita in patrijs filia prima ſacris,
Seu tu crudeles, Phlegetontica ſemina, Turcas
Magnanimus bello ſollicitare paras:
Siue cauum ratibus mauis ſulcare Lemannum,
Vt trepidos hoſtes obſidione premas:
Seu magè ſacrilegos vis debellare Britannos,
Quos nobis æquor diuidit, atque fides:
Non inuita ſequar, ſed non ſequar, immò præibo,

Hoſtibus armatas inijciamque manus.
Occidet Occiduus nauali Marte Britannus,
Solis ad occaſum fœmina ſæua cadet.
Sanctorum innocuo nondum ſatiata cruore,
(Proh ſcelus indignum!) fœmina regnat adhuc.
Regnat adhuc, ſæuitque animis, & cæca furore
Criminis vltorem non videt eſſe Deum.
Iuſte Deus, ſcelerum vindex, & criminis vltor,
Qui geris inuicta tela triſulca manu,
Impunita ſines, & tot patieris inulta
Crimina, ſupplicio crimina digna graui?
Cur non ipſe tonas? Cur non tua fulmina torques?
Cur tua in auctorem languida facta manus?
Impia lena pios, iuſtos iniuſta trucidat,
Et furit in pœnas ingenioſa nouas.
Luſus ei, manicæ, compes, crux, vincula, carcer:
Et morti inſontes dedere, luſus ei.
Innocuus ſanguis vindictam poſcit, & ipſe
Purgari fuſo ſanguine ſanguis auet.
Tot notha nota notis, tot fœmina nota nefandis
Actibus, inſano nota furore nimis,
Attollit tepido ſtillantem ſanguine dextram:
Cognatæque noua cæde madeſcit humus.
Non ſat erat claro Reginam ſanguine cretam
Carcere concluſam detinuiſſe diu,
Ni quoque conſpiceret caput à ceruice reuulſum,
Fœmina Caucaſea ſæuior illa tigri?
O vos, quos ſummi voluit moderator Olympi
Aurea regali ſceptra tenere manu.
Vnanimes terris tam dirum excludite monſtrum:
Alcides vobis fiet & ipſe minor.
At tu, Sancte Senex, cuius ſtat legibus Orbis,

Imperium CHRISTVS *cui ſine fine dedit,*
Dic modò pugnaces coëant in prælia turmæ,
Et Iani ancipitis clauſtra patere iube.
O! ego quos habeo iuuenes ad bella paratos:
O! quales mihi ſunt in tua vota duces.
A me vindictam proprio nunc iure repoſcunt
Fœdera cum Scotis Regibus icta mihi.
Illa mihi quondam materno ſanguine iuncta
Siccine crudeli cæde perempta iacet?
Quam duxit, thalamique libens in parte locauit
Vnus de noſtris Regibus, icta ruit?
Et ceſſo ingemitus? & ceſſo in prælia? nec me
Impellit læſam iuſtus in arma furor?
Arma, arma: effuſo placabo ſanguine manes,
Anglica victrici monſtra domabo manu.
Tu mihi dexter ades, quoniam tua, Summe Sacerdos
Res agitur, ſimilis te quoque cura premat.
Pontificem mulier ſolio detrudere Summum
Auſa erat in terris imperioſa ſuis.
Fulmine diſiectos priſci finxere Poëtæ
Terrigenas auſos in Iouis ire domum,
Illoſque impoſiti montis pro talibus auſis
Vaſta mole premi fabula ficta refert.
Impia quæ Cælo inſultat, CHRISTI*que miniſtrum*
Non colit, immiſſo fulmine tacta ruet.
Et tandem infelix ALTO *ſub* MONTE *iacebit:*
SIXTE, *tubas belli nunc dare ſigna iube.*
Gallus erit miles, ſub te qui prælia inibit:
Et tua qui ſcribet prælia, Gallus erit.
Dent ſuperi, longa vt longis reſpondeat ætas
Auſibus, vtque operi vita ſit æqua tuo:
Serus vt in Cælum redeas, populoque Quirini

F

Interſis, nec te tollat iniqua dies.
Hic potiùs magnus magnos tibi quære triumphos,
Neu patere vt Solymam, te duce, Turca premat.
SIXTE *adſiſte bonis, &* SIXTE *reſiſte proteruis,*
Et Pater hic Patriæ dicier ipſe velis.
Hìc Princeps, hìc tu Paſtor permitte vocari:
Hìc Mecænatis nobile nomen ames.

AD SANCTISS.
D. N. SIXTVM V.
PONT. OPT. MAX.

GVILIELMI DV BLANC,
ſuæ Sanctitatis Cubicularij ſanctioris, & intimi

CARMEN EVCHARISTICVM.

HVC igitur, Charites, celeri contendite curſu:
Gratia Lethæis ne perimatur aquis.
Et quoniam celans tabulis myſteria pictor
Vos nudas docta fecerat arte Deas,
Hùc nudæ properate, procul velamen abeſto:
Nil mihi cum fuco, carmina nuda placent.
Nec pudeat nudas coràm prodire puellas:
Sub SIXTO *intactus permanet ipſe pudor.*
Ille vetat quenquam caſtas violare puellas,
Ille pudicitiam ſollicitare vetat.
Tres numero Diuæ triplicem conſcendite montem,
Cui ſubſunt Helicon, Pindus, Olympus, Eryx.
Ac quoniam implicitæ hæretis complexibus arctis,
Non vos diuerſa diſſociabo domo.
Mons etenim montem triplex concurret in vnum:
Monſque idem, mirùm, trinus, & vnus erit.

Quòd ſi plerunque humanis diuina notantur,
VNIVS & TRINI ſymbola certa dabit.
Tres properate Deæ: ſatis eſt locus omnibus vnus,
SIXTVS habet capiti nam diadema triplex.
Vt condigna tamen referatur gratia SIXTO,
Non equidem veſter ſufficit ordo mihi.
Nam licet & nemorum frondes, & meßis ariſtas,
Et veſter numero vinceret aſtra chorus,
Haud ideò SIXTO benefacta rependere poſſet:
„ Plus etenim ſemper, qui benefecit, habet.
Ad SIXTVM properate tamen, genibusque volutæ
Prona ad ſacratos oſcula ferte pedes.
Atque verecundos in humum demittite vultus,
In roſeo inſideat plurimus ore pudor.
Dehinc aliquas ſaltem SIXTO perſoluite grates,
Quæ rata deuotæ pignora mentis erunt.
Sponte ſua nobis fauſto nunc omine SIXTVS
Dat bona, maioris præuia ſigna boni.
Parua alij hæc dicent: ſed tu quia, SIXTE, dediſti,
Hæc mihi permagni muneris inſtar erunt.
Gratia nam tanti mihi ſufficit vna Monarchæ:
„ Pontifici ſummo perplacuiſſe ſat eſt.
Non ego, Craſe, tibi, dum me modò SIXTVS amarit,
Ceſſero: non etiam ceſſero, Craſſe, tibi.
Si volet ille etenim, fiam de paupere diues:
Si volet, è Craſo diuite pauper ero.
Ille poteſt ſolo paruos extollere nutu,
Deprimere & magnos, ſi volet, ille poteſt.
Nil ego poſcebam: non eſt mendicus Apollo,
Et generoſa nihil poſcere Muſa poteſt,
Nil ego ſperabam, ſed me ſperare iubebat
SIXTVS: nunc verò ſpem iubet eſſe ratam.

Condideram paucis Epigrammata pauca diebus,
Quæ poterunt paucos vix numerare dies.
Obtuleram SIXTO*: excepit mea carmina* SIXTVS,
Legit, & auctorem rurſus adeſſe iubet.
Hæc dicit placuiſſe ſibi, pòſt præmia donat:
Præmia, quæ potiùs praua dona vocat.
Iuridicam Themidem colui plùs omnibus vnam,
Cultori nondùm quid dedit illa ſuo.
Sed ius cuique ſuum iuſta ſi lance rependit,
Cultorem tandem prouehet illa ſuum.
Quando mihi maior nondùm ſucceſſerat ætas,
Ludebam paruus carmina multa puer.
Et mihi perfaciles aderant in vota Camœnæ,
Quæ mea proluerant fonte labella ſacro.
Me rubra fundentem verſus Aurora videbat,
Et bijugis Phœbe vecta videbat equis.
Sæpe mihi Patruus: ſtudium quid inutile verſas?
„ *Carmine fama venit, ſed venit ipſa fames.*
Ipſæ inopes Muſæ degunt ſub paupere tecto,
Mæonius nullas accumulauit opes.
Carmina quid cantas? Et nos cantauimus, inquit,
Carmina carminibus nobiliora tuis.
Quando rudes prima tegerem lanugine malas,
Innumeros verſus ſcribere ludus erat.
Sed quia nil donant Muſæ, nil donat Apollo,
Conuerti verſus in meliora meos.
Viuendi, à leuibus longè diuerſa Camænis
Tunc ratio nobis inſtituenda fuit.
Exemplis inſiſte meis, cariſsime, dixit,
Seria tu ſerò ne ſape more Phrygum.
Eia age, Cæſareas prudens amplectere Leges,
Porriget immenſas nam tibi Cæſar opes.

Lege magiſtratus, & Lege parabis honores:
Sacra Sacerdoti Lex nec obeſſe poteſt.
Nec tuus, vt ſpero, poterit labor irritus eſſe,
Ingenium ſolers nam Deus ingenuit.
Tunc ego ſanctarum deſcendi è monte Sororum,
Vertice qui gemino ſidera celſa ferit.
Perrepſi in gemini ſcopuloſa Ceraunia Iuris,
In iuga non vllis inferiora iugis.
Deſerui fontem, duro quem fecerat vngue
Aliger inuicti Bellerophontis equus.
Iui immenſarum ſpacioſa per æquora Legum,
Per vada Caſtaliis liberiora vadis.
Littora cùm pinu tetigi exoptata, virilem
Sumpſi, prætextam depoſuique togam.
Tunc alios docui, Ciuilia Iura profeſſus,
Quod mea legitimum cymba peregit iter.
Signaui ſcopulos maris, erroreſque viarum,
Vt Laërtiades in ſua tecta redux.
Dumque meos recto referebam tramite curſus,
Bis tremulo paſſu pigra cucurrit hyems.
Pòſt ego Dardaniam veni longinquus in Vrbem,
Quæ domiti partas poſſidet Orbis opes.
Hic ego mirabar priſcûm monumenta virorum,
Nec non Phidiaca marmora cæſa manu.
Pyramidas mirabar hians, mirabar & arcus,
Falſis mirabar templa locata Deis.
Mirabar magno conſtructa palatia ſumptu,
Æmula ſupremis amphitheatra Polis.
Mirabar turres, mirabar & ipſe columnas:
Mirabar Pariis ſciſſa ſepulcra iugis.
Mirabar gelidos fontes, mirabar & hortos:
Mirabar, priſcæ quod fuit artis, opus.

Sed mihi tunc cepit decus hoc ſordeſcere priſcum,
Quando tuum vidi, maxime SIXTE, *decus,*
Obſtupui., obtutu mea lumina fixus in vno,
Et ſubitò crines diriguere mei.
Ecquis opus SIXTI *non admirabitur ingens?*
Ecquis non ſtupeat tot noua facta videns?
Facta noua, antiqui quæ non fecere Quirites,
Et noua, venturis quæ noua ſemper erunt.
Namque velut Titan nocturnas diſsipat vmbras,
Dum madidos vaſto gurgite tollit equos:
Et cæcas rutilo colluſtrat lumine terras,
Diſpellens radijs nubila denſa ſuis.
Sic tenebras claro nocturnas diſcutit ortu,
Et toto nubes SIXTVS *ab Orbe fugat,*
Atque diem reuehit, qui tantò eſt clarior Orbi,
Quantò nox Orbi nigrior antè fuit.
Prædo priùs totam complebat cædibus Vrbem,
Prædo viatori diripiebat opes.
Prædo priùs flammas in ſplendida tecta ferebat,
Prædo virginibus vim faciebat atrox.
Sed nunc aut ceruix prædonibus enſe reuulſa eſt,
Aut ij ceruicem ſuppoſuere iugo.
Nunc neque virgineo infertur vis vlla pudori,
Nec paſcunt auidæ ſplendida tecta faces.
Nunc ſibi nec metuit coram prædone viator,
Vda nec effuſo ſanguine terra rubet.
SIXTE *parens, totam multa de nocte per Vrbem*
Per te ſecurus quilibet ire poteſt.
Nunc rate felici Tyrrhena per æquora fertur
Nauita, pyratæ nec timet inſidias.
Per te Italos tutus peragrat nunc aduena campos,
Et molli durum carmine lenit iter.

Per te nunc paſtor patulæ proiectus ad vmbram
Arboris, errantes gramine paſcit oues.
Per te preſſa iugo ſupponit colla iuuencus,
Et ſteriles vnco vomere verſat agros.
Per te exſiccantur vaſtiſsima ſtagna, lacusque:
Iamque ferax ager eſt, quæ fuit antè palus,
Tu facis, vt pleno fundat ſua munera cornu
Copia, & annonam non ſinis eſſe grauem.
Inque Quirinalis ſitientia culmina montis
FELICEM *longo fornice ducis aquam:*
Siccos aſsiduis vt fontibus irriget hortos,
Fœcundum è ſterili reddat & ipſa ſolum.
Tu rectas ad templa vias celeberrima pandis:
Currus inaſſuetas itque, reditque vias.
Supremis imas valles tu montibus æquas,
Vallibus exæquas & iuga ſumma cauis.
Tu Lateranenſis reparas palatia templi,
Et facis, in præceps ne labefacta ruant.
Tu noua in Exquilijs ſtatuis delubra Tonanti,
Præſepe altari ſplendidiore locans,
CHRISTVS *vbi iacuit naſcens, vbi vagijt infans,*
Hunc vbi muneribus tres coluere Magi.
Hìc quoque ſupplicibus colet hunc Hiſpania votis,
Hunc colet Aegyptus, Francia tota colet,
Hìc colet hunc flexo Germania poplite ſupplex,
Auſonis hunc tellus relligioſa colet.
In tua congeſtos retuliſti æraria nummos,
Quos efferre poteſt non niſi cauſſa grauis.
Nec tibi theſauros vis vlla tyrannica fecit,
Sola manus tantas parca parauit opes.
Tu tamen immenſi prægrandia pondera ſaxi
Sumptibus immenſis imperioſus agis.

Saxea conſurgit moles, decus Vrbis, & Orbis,
Laus Crucis, & veræ Relligionis honos.
Hæc moles antiqua, nouis cantata Poëtis,
SIXTE, tuum ſemper nomen in aſtra feret.
Et ſi homines taceant, nunquam te ſaxa tacebunt,
Immò tuum clarè ſaxa loquentur opus.
Te quoties video, toties tu velle videris
Miranti tacitus ſic, Obeliſce, loqui.
Me priùs ignotum ignotæ texere ruinæ,
Nunc ſedeo noto notus & ipſe loco:
Notus ego Heſperijs populis, ego notus Eöis,
Ægypto notus, notus & ipſe Getis:
Arte operis notus, ſed carmine notior ipſo
Splendorem populis denoto, SIXTE, tuum.
En vt præteriens populus me ſuſpicit vnum?
Sed magè, SIXTE, tuum ſuſpicit ille decus.
Hæc vult ipſe loqui. Quòd ſi te muta loquuntur
Marmora, quid faciet lingua diſerta virûm?
Qui non audiret reſonantia marmora SIXTVM,
Marmoribus ſurdis ſurdior ipſe foret.
Quid loquar, vt ſanctis confirmes Legibus Vrbem?
Auctorem vt teneat debita pœna ſuum?
Per te crimen abit, per te Lex Iulia regnat,
Vxor & incertum non facit vlla genus.
Per te caſta domus: per te ſceleratus adulter
Legitimum metuit ſollicitare thorum.
Roma lupæ quondam nutricis vt vbera ſuxit,
Paſcere vulgares ſic ſolet illa lupas.
At tu, Sancte Senex, lata nunc lege rapaces
In nemus obſcurum cogis abire lupas.
Per te Romanis renouata Licinnia Lex eſt.
Quæ vetat indictas concelebrare dapes.

Vendicat ipſa locum ſibi centenaria cœna,
Nec menſæ adponit fercula multa coquus.
Nullus inaurato nunc inſignitur amictu.
Nec Phrygia quiſquam corpora veſte tegit.
Aurea nunc collo demit redimicula coniunx,
Sponſa nec impenſas ambitioſa facit:
Nec nimio incedit cultu, nimiove paratu,
Nec Tyrio prodit conſpicienda ſinu.
Roma nòuo regitur, velut altera Sparta, Lycurgo:
Sed veterem exſuperans quì nouus eſſe poteſt?
Sparta ſuum agnoſcat patrem ſtabilita Lycurgum:
SIXTE, ſuum agnoſcit te tua Roma patrem.
Per te Ius noſtrum ſua priſtina iura recepit:
Per te Lex Legi, Lege ſoluta, ſubeſt.
Vult aliquis quenquam mordaci inceſſere dicto?
Sufficit hoc vnum dicere, SIXTVS adeſt.
Vult aliquis ſancti fines tranſire pudoris?
Sufficit hoc vnum dicere, SIXTVS adeſt,
Soluere vult coniunx ſocialia fœdera lecti?
Sufficit hoc vnum dicere, SIXTVS adeſt.
Strictum vult aliquis demittere in ilia ferrum?
Sufficit hoc vnum dicere, SIXTVS adeſt.
Viuere vult aliquis rapto, furtove potiri?
Sufficit hoc vnum dicere, SIXTVS adeſt.
Vnum omnes vetito deterret crimine verbum.
Vox quemque officio continet vna ſuo.
Vox vna hæc terret Turcas, vox vna Britannos,
Et SIXTI audita voce Geneua tremit.
At mihi tu prima, & ſumma tu, SIXTE, Camœna
Diceris, Muſæ vox erit iſta frequens.
O! mihi magnanimus ſi fecerit ocia Princeps,
Ocia quam magni plena laboris erunt!

Sed nec amor proprius, nec honoris auara cupido,
Nec laus propoſitum ſcribere coget opus.
Vnus eris noſtri limen tu, SIXTE, *laboris,*
Atque vnus noſtri meta laboris eris.
Seu vigil Eoïs emerget Lucifer vndis,
Heſperus Heſperijs ſiue orietur aquis:
Siue magiſtratus, & publica munia obibo,
Seu medio fundam plurima verba foro:
Siue etiam abſtruſos Legum luſtrabo receſſus,
Et iuuenes iterùm Iura docebo nouos:
Seu magè, conſpicuus tonſa ceruice Sacerdos,
Inſtituam populos, erudiamque rudes:
Quicquid agam, tu, SIXTE, *animo verſabere noſtro,*
Et tua ſeſe oculis offeret vmbra meis.
Quicquid ego dicam, dicam te, maxime SIXTE,
Et meo erit ſemper nomen in ore tuum.
Quicquid ego ſcribam, ſcribam te, maxime SIXTE,
Atque eris in noſtris plurimus ipſe libris.
Voce tua Iani cùm ianua clauſa patebit,
Voce tua vt Cæli ianua clauſa patet:
Quando Duces Dux ipſe Ducum ſub ſigna vocabis,
Et iuſta in Solymos ſumier arma voles:
Quando ſacro magni iungentur fœdere Reges,
In rabidos Turcas vt pia bella gerant:
Martia quando ſenex horrebit prælia Nereus,
Et ſtratum innumeris nauibus æquor erit,
Ipſe ego tunc adero: nec enim Martem odit Apollo:
Pallas amat libros, prælia Pallas amat.
Tyrthæus cuneos duxit Lacedæmonas olim,
Obliquo Vates qui pede claudus erat.
Qualis & adſidens puppi Rhodopeïus Heros
Pollice Phœbæum ſollicitabat ebur,

Nunc rus, & vallis, diſplicuitque nemus:
Antè Meduſæos fontes habitare placebat,
Nec non Aonij culmina ſumma iugi.
Nunc Vaticani placuere palatia montis:
Aureus hic locus eſt, laureus ille fuit.
In Vaticano, Muſæ, feliciter eſte:
Conuenit vt veſtris Vatibus iſte locus?
Hic igitur quoniam iuſſit vos ſiſtere SIXTVS,
Siſtite, nec veſtris derit Apollo choris.
Nam praerit SIXTVS *vobis, cantumque præibit*
In medio reſidens alter Apollo choro.
Non deeruut fontes; riuos nam SIXTVS *in Vrbem*
Deduxit: fontes proſiluere noui.
Immò Quirinali fontes in monte parantur,
Ipſa Caballinum quem modò Roma vocat.
Non deerunt horti; SIXTVS *ſibi fecerat hortos,*
Et Vaticano nobilis hortus ineſt.
Non deerunt montes; ſepteno Vrbs vertice ſurgit,
Et triplicis montis ſtemmata SIXTVS *habet.*
Chalcographi haud deerunt, cudant qui carmina veſtra;
In Vaticano collocat ille typos.
Hic igitur SIXTI *imperio conſidite, Muſæ,*
Nec paupertatis vos graue mergat onus.
Vos ſciat ille inopes, mendicas neſciat vnquàm.
Spem non exiguam vos agitare iubet,
Sperate, atque bonis voſmet ſeruate futuris:
Vos ſola SIXTVS *voce beare poteſt.*
En & alumnus adeſt? Et tu chariſſime ſalue,
Quem foui blando mater amica ſinu.
Principis vt SIXTI *celeberrima facta viderem,*
Hùc veni numeris ipſa vocata tuis.
Quàmlibet immenſo deſcribas carmine SIXTVM,
Res eſt carminibus grandior ipſa tuis.

Et cieas Charitas, moueaſque Helicona virentem,
Excedunt grates tot benefacta tuas.
En quales, quantoſque tibi largitur honores
Præcipuo Princeps dignus honore coli?
En vltrò tete admittit penetralibus Aulæ?
An non exſuperant ſpem benefacta tuam?
Hunc, fili, venerare libens, dum vita manebit:
Fac etiam viuat gratia morte tua.
At tibi, Sancte Parens, cui Gallica natio curæ,
Et cuius felix exitus acta probat,
Munere pro tanto dignas perſoluere grates
Certè equidem noſtræ non opis eſſe reor.
Sed ſaltem memori benefactum mente repoſtum
Hærebit, grates & tibi ſemper agam.
Et populus ſummo Phœbus quem proſpicit ortu,
Me non ingratam ſentiet eſſe tibi.
Quique premit duris Tarteſsia littora plantis,
Me memorem tanti muneris eſſe ſciet.
Quique eſt extremi gelido ſub cardine mundi,
Vni deuotam me ſciet eſſe tibi.
Quique habitat Cancri combuſtam ardore Syenen,
Me memorem tanti ſentiet eſſe boni.
Non me, ſomniferæ biberem ſi pocula Lethes,
Immemorem facerent muneris illa dati.
Explora quæcunque voles, ego iuſſa capeſſam,
Vt poſita in patrijs filia prima ſacris,
Seu tu crudeles, Phlegetontica ſemina, Turcas
Magnanimus bello ſollicitare paras:
Siue cauum ratibus mauis ſulcare Lemannum,
Vt trepidos hoſtes obſidione premas:
Seu magè ſacrilegos vis debellare Britannos,
Quos nobis æquor diuidit, atque fides:
Non inuita ſequar, ſed non ſequar, immò præibo,

Hoſtibus armatas iniĳciamque manus.
Occidet Occiduus nauali Marte Britannus,
Solis ad occaſum fœmina ſæua cadet.
Sanctorum innocuo nondum ſatiata cruore,
(Proh ſcelus indignum!) fœmina regnat adhuc.
Regnat adhuc, ſæuitque animis, & cæca furore
Criminis vltorem non videt eſſe Deum.
Iuſte Deus, ſcelerum vindex, & criminis vltor,
Qui geris inuicta tela triſulca manu,
Impunita ſines, & tot patieris inulta
Crimina, ſupplicio crimina digna graui?
Cur non ipſe tonas? Cur non tua fulmina torques?
Cur tua in auctorem languida facta manus?
Impia lena pios, iuſtos iniuſta trucidat,
Et furit in pœnas ingenioſa nouas.
Luſus ei, manicæ, compes, crux, vincula, carcer:
Et morti inſontes dedere, luſus ei.
Innocuus ſanguis vindictam poſcit, & ipſe
Purgari fuſo ſanguine ſanguis auet.
Tot notha nota notis, tot fœmina nota nefandis
Actibus, inſano nota furore nimis,
Attollit tepido ſtillantem ſanguine dextram:
Cognatæque noua cæde madeſcit humus.
Non ſat erat claro Reginam ſanguine cretam
Carcere concluſam detinuiſſe diu,
Ni quoque conſpiceret caput à ceruice reuulſum,
Fœmina Caucaſea ſæuior illa tigri?
O vos, quos ſummi voluit moderator Olympi
Aurea regali ſceptra tenere manu.
Vnanimes terris tam dirum excludite monſtrum:
Alcides vobis fiet & ipſe minor.
At tu, Sancte Senex, cuius ſtat legibus Orbis,

Imperium

Imperium CHRISTVS *cui ſine fine dedit,*
Dic modò pugnaces coëant in prælia turmæ,
Et Iani ancipitis clauſtra patere iube.
O! ego quos habeo iuuenes ad bella paratos:
O! quales mihi ſunt in tua vota duces.
A me vindictam proprio nunc iure repoſcunt
Fœdera cum Scotis Regibus icta mihi.
Illa mihi quondam materno ſanguine iuncta
Siccine crudeli cæde perempta iacet?
Quam duxit, thalamique libens in parte locauit
Vnus de noſtris Regibus, icta ruit?
Et ceſſo ingemitus? & ceſſo in prælia? nec me
Impellit læſam iuſtus in arma furor?
Arma, arma: effuſo placabo ſanguine manes,
Anglica victrici monſtra domabo manu.
Tu mihi dexter ades, quoniam tua, Summe Sacerdos
Res agitur, ſimilis te quoque cura premat.
Pontificem mulier ſolio detrudere Summum
Auſa erat in terris imperioſa ſuis.
Fulmine diſiectos priſci finxere Poëtæ
Terrigenas auſos in Iouis ire domum,
Illoſque impoſiti montis pro talibus auſis
Vaſta mole premi fabula ficta refert.
Impia quæ Cælo inſultat, CHRISTI*que miniſtrum*
Non colit, immiſſo fulmine tacta ruet.
Et tandem infelix ALTO *ſub* MONTE *iacebit:*
SIXTE, *tubas belli nunc dare ſigna iube.*
Gallus erit miles, ſub te qui prælia inibit:
Et tua qui ſcribet prælia, Gallus erit.
Dent ſuperi, longa vt longis reſpondeat ætas
Auſibus, vtque operi vita ſit æqua tuo:
Serus vt in Cælum redeas, populoque Quirini

Interſis, nec te tollat iniqua dies.
Hic potiùs magnus magnos tibi quære triumphos,
Neu patere vt Solymam, te duce, Turca premat.
SIXTE *adſiſte bonis, &* SIXTE *reſiſte proteruis,*
Et Pater hic Patriæ dicier ipſe velis.
Hìc Princeps, hìc tu Paſtor permitte vocari:
Hìc Mecænatis nobile nomen ames.

AD SANCTISS.

D. N. SIXTVM V.

PONT. OPT. MAX.

GVILIELMI DV BLANC,

ſuæ Sanctitatis Cubicularij ſanctioris, & intimi

CARMEN EVCHARISTICVM.

HVC igitur, Charites, celeri contendite curſu,
Gratia Lethæis ne perimatur aquis.
Et quoniam celans tabulis myſteria pictor
Vos nudas docta fecerat arte Deas,
Hùc nudæ properate, procul velamen abeſto:
Nil mihi cum fuco, carmina nuda placent.
Nec pudeat nudas coràm prodire puellas:
Sub SIXTO *intactus permanet ipſe pudor.*
Ille vetat quenquam caſtas violare puellas,
Ille pudicitiam ſollicitare vetat.
Tres numero Diuæ triplicem conſcendite montem,
Cui ſubſunt Helicon, Pindus, Olympus, Eryx.
Ac quoniam implicitæ hæretis complexibus arctis,
Non vos diuerſa diſſociabo domo.
Mons etenim montem triplex concurret in vnum:
Monſque idem, mirùm, trinus, & vnus erit.

Quòd ſi plerunque humanis diuina notantur,
VNIVS & TRINI ſymbola certa dabit.
Tres properate Deæ: ſatis eſt locus omnibus vnus,
SIXTVS habet capiti nam diadema triplex.
Vt condigna tamen referatur gratia SIXTO,
Non equidem veſter ſufficit ordo mihi.
Nam licet & nemorum frondes, & meſsis ariſtas,
Et veſter numero vinceret aſtra chorus,
Haud ideò SIXTO benefacta rependere poſſet:
„ Plus etenim ſemper, qui benefecit, habet.
Ad SIXTVM properate tamen, genibusque volutæ
Prona ad ſacratos oſcula ferte pedes.
Atque verecundos in humum demittite vultus,
In roſeo inſideat plurimus ore pudor.
Dehinc aliquas ſaltem SIXTO perſoluite grates,
Quæ rata deuotæ pignora mentis erunt.
Sponte ſua nobis fauſto nunc omine SIXTVS
Dat bona, maioris præuia ſigna boni.
Parua alij hæc dicent: ſed tu quia, SIXTE, dediſti,
Hæc mihi permagni muneris inſtar erunt.
Gratia nam tanti mihi ſufficit vna Monarchæ:
„ Pontifici ſummo perplacuiſſe ſat eſt.
Non ego, Craſe, tibi, dum me modò SIXTVS amarit,
Ceſſero: non etiam ceſſero, Craſſe, tibi.
Si volet ille etenim, fiam de paupere diues:
Si volet, è Craſo diuite pauper ero.
Ille poteſt ſolo paruos extollere nutu,
Deprimere & magnos, ſi volet, ille poteſt.
Nil ego poſcebam: non eſt mendicus Apollo,
Et generoſa nihil poſcere Muſa poteſt,
Nil ego ſperabam, ſed me ſperare iubebat
SIXTVS: nunc verò ſpem iubet eſſe ratam.

Condideram paucis Epigrammata pauca diebus,
Quæ poterunt paucos vix numerare dies.
Obtuleram SIXTO: *excepit mea carmina* SIXTVS,
Legit, & auctorem rurſus adeſſe iubet.
Hæc dicit placuiſſe ſibi, pòſt præmia donat:
Præmia, quæ potiùs præuia dona vocat.
Iuridicam Themidem colui plùs omnibus vnam,
Cultori nondùm quid dedit illa ſuo.
Sed ius cuique ſuum iuſta ſi lance rependit,
Cultorem tandem prouehet illa ſuum.
Quando mihi maior nondùm ſucceſſerat ætas,
Ludebam paruus carmina multa puer.
Et mihi perfaciles aderant in vota Camœnæ,
Quæ mea proluerant fonte labella ſacro.
Me rubra fundentem verſus Aurora videbat,
Et bijugis Phœbe vecta videbat equis.
Sæpe mihi Patruus: ſtudium quid inutile verſas?
,, *Carmine fama venit, ſed venit ipſa fames.*
Ipſæ inopes Muſæ degunt ſub paupere tecto,
Mæonius nullas accumulauit opes.
Carmina quid cantas? Et nos cantauimus, inquit,
Carmina carminibus nobiliora tuis.
Quando rudes prima tegerem lanugine malas,
Innumeros verſus ſcribere ludus erat.
Sed quia nil donant Muſæ, nil donat Apollo,
Conuerti verſus in meliora meos.
Viuendi, à leuibus longè diuerſa Camænis
Tunc ratio nobis inſtituenda fuit.
Exemplis inſiſte meis, cariſsime, dixit,
Seria tu ſerò ne ſape more Phrygum.
Eia age, Cæſareas prudens amplectere Leges,
Porriget immenſas nam tibi Cæſar opes.

Lege magiſtratus, & Lege parabis honores:
Sacra Sacerdoti Lex nec obeſſe poteſt.
Nec tuus, vt ſpero, poterit labor irritus eſſe,
Ingenium ſolers nam Deus ingenuit.
Tunc ego ſanctarum deſcendi è monte Sororum,
Vertice qui gemino ſidera celſa ferit.
Perrepſi in gemini ſcopuloſa Ceraunia Iuris,
In iuga non vllis inferiora iugis.
Deſerui fontem, duro quem fecerat vngue
Aliger inuicti Bellerophontis equus.
Iui immenſarum ſpacioſa per æquora Legum,
Per vada Caſtalijs liberiora vadis.
Littora cùm pinu tetigi exoptata, virilem
Sumpſi, prætextam depoſuique togam.
Tunc alios docui, Ciuilia Iura profeſſus,
Quod mea legitimum cymba peregit iter.
Signaui ſcopulos maris, erroreſque viarum,
Vt Laërtiades in ſua tecta redux.
Dumque meos recto referebam tramite curſus,
Bis tremulo paſſu pigra cucurrit hyems.
Pòſt ego Dardaniam veni longinquus in Vrbem,
Quæ domiti partas poßidet Orbis opes.
Hic ego mirabar priſcûm monumenta virorum,
Nec non Phidiaca marmora cæſa manu.
Pyramidas mirabar hians, mirabar & arcus,
Falſis mirabar templa locata Deis.
Mirabar magno conſtructa palatia ſumptu,
Æmula ſupremis amphitheatra Polis.
Mirabar turres, mirabar & ipſe columnas:
Mirabar Parijs ſciſſa ſepulcra iugis.
Mirabar gelidos fontes, mirabar & hortos:
Mirabar, priſcæ quod fuit artis, opus.

Sed mihi tunc cepit decus hoc ſordeſcere priſcum,
Quando tuum vidi, maxime SIXTE, *decus,*
Obſtupui., obtutu mea lumina fixus in vno,
Et ſubitò crines diriguere mei.
Ecquis opus SIXTI *non admirabitur ingens?*
Ecquis non ſtupeat tot noua facta videns?
Facta noua, antiqui quæ non fecere Quirites,
Et noua, venturis quæ noua ſemper erunt.
Namque velut Titan nocturnas diſsipat vmbras,
Dum madidos vaſto gurgite tollit equos:
Et cæcas rutilo colluſtrat lumine terras,
Diſpellens radijs nubila denſa ſuis.
Sic tenebras claro nocturnas diſcutit ortu,
Et toto nubes SIXTVS *ab Orbe fugat,*
Atque diem reuehit, qui tantò eſt clarior Orbi,
Quantò nox Orbi nigrior antè fuit.
Prædo priùs totam complebat cædibus Vrbem,
Prædo viatori diripiebat opes.
Prædo priùs flammas in ſplendida tecta ferebat,
Prædo virginibus vim faciebat atrox.
Sed nunc aut ceruix prædonibus enſe reuulſa eſt,
Aut ij ceruicem ſuppoſuere iugo.
Nunc neque virgineo infertur vis vlla pudori,
Nec paſcunt auidæ ſplendida tecta faces.
Nunc ſibi nec metuit coram prædone viator,
Vda nec effuſo ſanguine terra rubet.
SIXTE *parens, totam multa de nocte per Vrbem*
Per te ſecurus quilibet ire poteſt.
Nunc rate felici Tyrrhena per æquora fertur
Nauita, pyratæ nec timet inſidias.
Per te Italos tutus peragrat nunc aduena campos,
Et molli durum carmine lenit iter.

Per te nunc paſtor patulæ proiectus ad vmbram
Arboris, errantes gramine paſcit oues.
Per te preſſa iugo ſupponit colla iuuencus,
Et ſteriles vnco vomere verſat agros.
Per te exſiccantur vaſtiſsima ſtagna, lacusque:
Iamque ferax ager eſt, quæ fuit antè palus,
Tu facis, vt pleno fundat ſua munera cornu
Copia, & annonam non ſinis eſſe grauem.
Inque Quirinalis ſitientia culmina montis
FELICEM *longo fornice ducis aquam:*
Siccos aſsiduis vt fontibus irriget hortos,
Fœcundum è ſterili reddat & ipſa ſolum.
Tu rectás ad templa vias celeberrima pandis:
Currus inaſſuetas itque, reditque vias.
Supremis imas valles tu montibus æquas,
Vallibus exæquas & iuga ſumma cauis.
Tu Lateranenſis reparas palatia templi,
Et facis, in præceps ne labefacta ruant.
Tu noua in Exquilijs ſtatuis delubra Tonanti,
Præſepe altari ſplendidiore locans,
CHRISTVS *vbi iacuit naſcens, vbi vagijt infans,*
Hunc vbi muneribus tres coluere Magi.
Hìc quoque ſupplicibus colet hunc Hiſpania votis,
Hunc colet Aegyptus, Francia tota colet,
Hìc colet hunc flexo Germania poplite ſupplex,
Auſonis hunc tellus relligioſa colet.
In tua congeſtos retuliſti æraria nummos,
Quos efferre poteſt non niſi cauſſa grauis.
Nec tibi theſauros vis vlla tyrannica fecit,
Sola manus tantas parca parauit opes.
Tu tamen immenſi prægrandia pondera ſaxi
Sumptibus immenſis imperioſus agis.

Saxea

Saxea conſurgit moles, decus Vrbis, & Orbis,
Laus Crucis, & veræ Relligionis honos.
Hæc moles antiqua, nouis cantata Poëtis,
SIXTE, tuum ſemper nomen in aſtra feret.
Et ſi homines taceant, nunquam te ſaxa tacebunt,
Immò tuum clarè ſaxa loquentur opus.
Te quoties video, toties tu velle videris
Miranti tacitus ſic, Obeliſce, loqui.
Me priùs ignotum ignotæ texere ruinæ,
Nunc ſedeo noto notus & ipſe loco:
Notus ego Heſperijs populis, ego notus Eoïs,
Ægypto notus, notus & ipſe Getis:
Arte operis notus, ſed carmine notior ipſo
Splendorem populis denoto, SIXTE, tuum.
En vt præteriens populus me ſuſpicit vnum?
Sed magè, SIXTE, tuum ſuſpicit ille decus.
Hæc vult ipſe loqui. Quòd ſi te muta loquuntur
Marmora, quid faciet lingua diſerta virûm?
Qui non audiret reſonantia marmora SIXTVM,
Marmoribus ſurdis ſurdior ipſe foret.
Quid loquar, vt ſanctis confirmes Legibus Vrbem?
Auctorem vt teneat debita pœna ſuum?
Per te crimen abit, per te Lex Iulia regnat,
Vxor & incertum non facit vlla genus.
Per te caſta domus: per te ſceleratus adulter
Legitimum metuit ſollicitare thorum.
Roma lupæ quondam nutricis vt vbera ſuxit,
Paſcere vulgares ſic ſolet illa lupas.
At tu, Sancte Senex, lata nunc lege rapaces
In nemus obſcurum cogis abire lupas.
Per te Romanis renouata Licinnia Lex eſt.
Quæ vetat indictas concelebrare dapes.

Sed nec amor proprius, nec honoris auara cupido,
Nec laus propoſitum ſcribere coget opus.
Vnus eris noſtri limen tu, SIXTE, laboris,
Atque vnus noſtri meta laboris eris.
Seu vigil Eoïs emerget Lucifer vndis,
Heſperus Heſperijs ſiue orietur aquis:
Siue magiſtratus, & publica munia obibo,
Seu medio fundam plurima verba foro:
Siue etiam abſtruſos Legum luſtrabo receſſus,
Et iuuenes iterùm Iura docebo nouos:
Seu magè, conſpicuus tonſa ceruice Sacerdos,
Inſtituam populos, erudiamque rudes:
Quicquid agam, tu, SIXTE, animo verſabere noſtro,
Et tua ſeſe oculis offeret vmbra meis.
Quicquid ego dicam, dicam te, maxime SIXTE,
Et meo erit ſemper nomen in ore tuum.
Quicquid ego ſcribam, ſcribam te, maxime SIXTE,
Atque eris in noſtris plurimus ipſe libris.
Voce tua Iani cùm ianua clauſa patebit,
Voce tua vt Cæli ianua clauſa patet:
Quando Duces Dux ipſe Ducum ſub ſigna vocabis,
Et iuſta in Solymos ſumier arma voles:
Quando ſacro magni iungentur fœdere Reges,
In rabidos Turcas vt pia bella gerant:
Martia quando ſenex horrebit prælia Nereus,
Et ſtratum innumeris nauibus æquor erit,
Ipſe ego tunc adero: nec enim Martem odit Apollo:
Pallas amat libros, prælia Pallas amat.
Tyrthæus cuneos duxit Lacedæmonas olim,
Obliquo Vates qui pede claudus erat.
Qualis & adſidens puppi Rhodopeïus Heros
Pollice Phœbæum ſollicitabat ebur,

Sirenumque ſuo ſuperabat carmine carmen,
Pacabatque ſuis æquora mota ſonis,
Argo dum vectus Colchos tendebat Iaſon,
Diues vt auratæ vellus haberet ouis.
Talis ego adſidens puppi mea carmina dicam,
Carminibuſque meis conſociabo lyram.
Fortè maris duros verſu lenibo labores,
Et freta ſedabo concita, dulcè canens,
Quando Aſiæ populos Europa irrumpet in ipſos,
Poßit vt in ſacris ſacrificare locis.
Fortè immittam animos animoſo carmine noſtris:
„ Currenti par eſt ſubdere calcar equo.
Nam quæ Romuleos nunc Pubes Galla penates
Incolit, & ficti munera Martis obit.
Quæ medio in campo duris calcaribus actum
Spumantem in gyros flectere diſcit equum,
Inque vicem ſtricto diſcit concurrere ferro,
Diſcit & intrepidas addere in arma manus,
Hæc aderit ſacro bello generoſa iuuentus,
Hæc prior inuicto pectore in arma ruet.
Quam proprio CHRISTVS *pro nobis ſanguine tinxit,*
Pro CHRISTO *hæc proprio ſanguine tinget humum.*
Oppetet hæc ſanctam per mille pericula mortem,
Mortua vbi CHRISTO *mors moriente perIt.*
Hæc ſubiget Turcam (Francis ea debita palma
Creditur) atque Aſiæ deſtruet imperium.
Turca rues: tantos arx Elia ſeruat in vſus,
Quas ſummus Princeps accumulauit opes.
Quoſque ſibi belli neruos confecit abundè,
Vertet theſauros in caput ille tuum.
Infelix tu Turca rues, hoc nomine felix,
Quòd tu FELICI *ſub Duce Turca rues.*

Iordanis longa protectus arundine ripam
Purpureo infectas ſanguine voluet aquas.
Libera rurſus erit, quæ nunc tibi ſeruit Idume,
Et poſtliminio priſtina iura petet.
Tunc ſua Daphnæa præcinctus tempora fronde,
Victrices palmas SIXTVS *& ipſe tenens,*
Hic vbi conſpicuo Caluaria vertice ſurgit,
Summo perſoluet debita vota Deo.
*M*ONS ALTVS *populis monte apparebit in alto,*
Sacra colet, feſtos inſtituetque dies.
Deſpiciet terras humiles, vicinus & aſtris
Aſtrorum auctori iubila læta canet.
Et puram puro de marmore conſtruet aram,
Cernuus ac illi thura Sabæa feret.
Illam Turcarum ſpolijs onerabit opimis,
Et violis ſparget, purpureiſque roſis.
Offeret hìc PATRI *venerandum corpus* IESV,
Corpus vbi obtulerat FILIVS *antè* PATRI.
Ac vbi Apella Cruci quondam ſuffixit IESVM,
Eriget hìc SIXTVS *ſigna beata Crucis.*
Vtque in Oliueto palmas ad ſidera tendens
CHRISTVS *ſollicitas fudit ab ore preces:*
Sic in Olíueto palmas ad ſidera tendens
SIXTVS *gratantes fundet ab ore preces.*
Pòſt etiam ad tumulum veniet, generiſque, videbit,
Humani requies qua requieuit, humum.
Qualis Paula olim, velut eſt Hieronymus auctor,
Lingebat tumuli marmor inane ſacri:
Talis ego lingam lingua ſitiente ſepulcri
Marmoreum lapidem, ſuppliciterque colam.
Felices oculi, CHRISTI *qui ſacra videbunt*
Occiſi effuſo ſparſa cruore loca.

Quem legat adueniens patrijs peregrinus ab oris,
Hic breuis in tumuli marmore verſus erit.
CLAVDERE.QVEM.NESCIT.TOTIVS.MACHINA.MVNDI
CHRISTVS.IN ANGVSTO.MARMORE.CLAVSVS.ERAT.
At tu Romuleæ cùm mænia victor in Vrbis,
Et ſpolijs clarus, SIXTE, *redibis ouans,*
Roma triumphalem exultans tibi conſtruet arcum,
Qualem non ipſi ſtruxerat antè Tito.
Diceturque tuo hic arcus de nomine FELIX:
In fronte inſcriptum diſtichon iſtud erit.
SIXTO. FELICI. VICTORI. ORIENTIS. OB. IPSOS
EDOMITOS. TVRCAS. INCLYTA. ROMA. DICAT.
Tunc demùm ipſe tuas ſeponam, Bartole, gloſſas:
Seponam Leges, Papiniane, tuas.
Pieriumque chorum gemino de colle ciebo,
Vt tua grandiloquus prælia, SIXTE, *canam.*
Tunc grauis Heroo ſurget mea Muſa cothurno,
Inque tuas laudes ingenioſus ero.
Tunc ego Idumæas referam tibi, Gallia, palmas:
Verſibus Heroïs arma, virumque canam.
SIXTIADA *adgrediar: procul hinc, procul eſte iocoſi*
Verſus: grandi operi grande paratur opus.
Alta decent alti cantus, ſanctæque Sorores
Magna modis paruis attenuare vetant.
Quis ſcit, an in toto mea SIXTIAS *Orbe canetur?*
An releget Vatem Gallia docta ſuum?
Si Mecœnates Felicia ſecula donent,
Naſones etiam, Virgilioſque dabunt.
Sed ſatis eſt, Charites, neque ſat dixiſſe poteſtis:
„ *Et ſatis eſt, quando non ſatis eſſe poteſt.*
Vos venerabundæ rurſus procumbite SIXTO,
Imprimite & pedibus veſtra labella ſuis.

Dicite: Conſilio exſuperas vt Neſtora, Sixte,
Neſtora ſic annis exſuperare queas.
Atque exinde domum tacitæ diſcedite, donec
Tempore vos iubeat rurſus adeſſe breui.

FINIS

G. EPISCOPVS GRASSENSIS ET VENCIENSIS,

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOMINO

ERRICO DVCI DE IOEVSA Ord. S. Io. Hieroſolymitani Equiti, & in Occitana Prouinciâ Proregi.

INCIDERAT nuper Cardinalis frater tuus in eum Ambroſij locum, quo vir eloquentiſſimus Antiochenam Virginem breui deſcribit oratione. Placebat non Virginis modò, ſed orationis etiam elegantia, neque tam perſonæ conſtantiam, & fortitudinem, quàm ſermonis vim, & efficaciam mirabatur. Sed euenit ei tandem, quod faſtidioſis conuiuis, qui plerumque inter lautiſſimas, & exquiſitiſſimas epulas panem appetunt cibarium; quod Hebræis olim, qui faſtidito ſuauiſſimo manna Aegypti cucumeres, pepones, porros, cepe, & allia

allia deſiderabant. Non contentus itaque Ambroſiano, eoque verè ambroſio cibo, cœpit mecum agere, eum vt pöëmate meo facerem (ſcilicet) conditiorem: quodque iure ſuo exigere poterat (vide hominis modeſtiam) id à me precibus contendebat. Chriſtianam Virginem, eandemque Martyrem celebrari verſibus, Eccleſiæ Dei & vtile ad exemplum, & glorioſum ad mortalitatem memoriæ iudicabat. Neque abſurdè fieri addebat, vt argumentum ſoluta oratione ab Epiſcopo, & ab Epiſcopo Ambroſio feliciter tractatum, ab Epiſcopo Blanco vinctâ retractaretur. Ego verò ſatis alioqui vel in otio occupatus, neque ignarus quantum eſſet periculi poſt Roſcium in ſcenam prodire, hoc eſt, poſt Ambroſium Virginem repreſentare, ei libenter obtemperaui, cuius quot preces, tot ſunt mihi iuſſa, & iuſſa occupationibus, ac periculis omnibus præferenda. Neque tamen id ago, vt Ambroſium aſſequi poſſe me ſperem, quem magno interuallo ſequi dumtaxat, & per eius veſtigia repere in ſumma repono felicitate. Quem enim in ceteris omnibus, præcipuè verò in vitæ ſanctimonia, & Epiſcopalis muneris adminiſtratione longè ſuperiorem agnoſco, quidni etiam in ſcribendo me ille habeat inferiorem? Ceſſit tandem Turnus Aeneæ, cùm de virgine Lauinia inter ſe ambo diſceptarent; & illa Aeneæ fuit, non Turni. Mihi certè glorioſum erit, vt Turno, ab illo Chriſtiano Aenea ſuperatum fuiſſe; & per me Virgo dicatur Ambroſij, non Blanci. Alienam autem Virginem, ſed nouis à me veſtibus, ijſque non iam militaribus, ſed Eccleſiaſticis exornatam ad te mittere conſtitui, vt veteris mei in te, tuamque gen-

tem amoris, & obſeruantiæ hoc etiam extaret monumentum. Vale, Dux fortiſſime, & domeſticæ virtutis memor, quantùm antea in cœnobio precibus, vigilijs, lacrymis Eccleſiam iuuiſti, tantùm poſteà in hominum luce (ita volente ſummo Pontifice) armis, excubijs, auctoritate iuua. Romæ x. Cal. Sextileis CIↃ. IↃ. XCV.

AVCTOR

CHRISTIANO LECTORI.

QVAM hoc noſtro poëmate poſt Ambroſium deſcribimus virginem, Chriſtiane Lector, primùm aliam eſſe exiſtimamus ab illa Theodora, quæ habitum militarem mentita è lupanari ope Didymi militis euaſit: qui in eo remanens pro illa ad ſupplicium damnatus eſt. Quæ hiſtoria diffuſè narratur à Simeone Metaphraſte, & extat apud Lippoman. tomo 7. & Surium tom. 2. in Aprili, etſi vnam, & eandem fuiſſe virginem cenſeant nonnulli auctore Baronio in Martyrolog. 28. April. Ego verò vt Theodoram, & Ambroſianam virgines in multis conuenire non nego, ita certè in pluribus affirmo diſcrepare. Illa enim Alexandrina, hæc Antiochena fuiſſe perhibetur: illius primùm fides tentata, deinde pudor: huius primùm pudor, deinde fides: illa à preſide Euſtrathio ad lupanar damnata, hæc à populo: illa virgo dumtaxat ſolo milite ſecuri percuſſo: hæc etiam martyr vnà cum milite liberatore percuſſa. Atque in hâc poſteriorem ſententiam iuit poſteà idem Baron. to. 2. Annal. Eccleſiaſtic. Quam vel ex eo veram eſſe conuinco, quòd virgines illas diuerſa tulerint tempora; floruit enim Alexãdrina Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, vt auctor eſt Metaphraſtes: Antiochena verò tẽ-

poribus B. Ambroſij, hoc eſt, Theodoſio II. Imperatore, vel paulò anteà. Scribit enim vir ſanctiſſimus (Antiochiæ nuper virgo quædam fuit) ita vt totú ſeculum inter Alexandrinam, & Antiochenam virgines, ſicut inter Diocletianum, & Theodoſium Imperatores interceſſerit. Deinde diuerſam eſſe cenſemus ab Antonia, quæ cùm ad proſtibulum damnata fuiſſet, iuuenis Alexander prætextu libidinis, & petulantiæ, vt refert Nicephor. Eccleſ. hiſtor. lib. 7. cap. 13. meretricularum curatorem lenonem conueniens, noctem puellæ eius quinque numis aureis mercatus, & ad eam ingreſſus tunicá quidem ipſe ſuam ei iniecit, eamque, vt agnoſci non poſſet, probè contectam exire iuſſit: ipſe autem veſtibus illius amictus, & deprehenſus capitis pœnam dedit. Nam vt ſunt quædam Antoninæ ſimilitudines cum Antiochena, ita nó vna inter ambas reperitur diſſimilitudo apud Surium tomo 3. in Maio, ex Metaphraſte. Poſtremò non eandem eſſe arbitramur cum ea virgine, quam Palladius ex Hippolyto Apoſtolorum familiari in Lauſiaca hiſtoria cap. 148. opera adoleſcentis Magiſtriani, ſumpta illius veſte militari, è proſtibulo liberatam ſcribit: fuit enim ambarum diuerſa patria: illius Antiochia, huius Corinthus: diuerſi iudices: illius vniuerſus populus, huius vnus magiſtratus: diuerſa iudicij forma: illa nullis præcedétibus tormentis morte mulctata, hæc non tormenta, ſed mortem euaſit ſolo milite beſtijs obiecto. Neque verò miretur aliquis tres has virgines Antiochenam, Antoniam, & Corinthiacam ſibi in pluribus reſpódere. Chriſtianas enim virgines ad proſtibulum damnare conſueuerát olim Gentiles. Audi Tertullianum in Apologetic. cap. 45. Nam proximè (inquit) ad lenonem damnando Chri-

ſtianam potiùs quàm ad leonem, confeſſi eſtis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & omni morte reputari. Idque exemplis Agnetis, Theophilæ, Euphraſiæ, Luciæ, & aliarum palàm declaratur. Quas omnes peculiari quodam beneficio, ſeu potiùs virtute, & prodigio auctor virginitatis Chriſtus intactas liberabat, vt ſanctus Baſilius tradit his verbis. Cũ ferueret, inquit, perſecutionis immanitas, electæ virgines propter ſponſi fidem ad illudẽdũm impijs hominibus traditæ, corporibus inuiolatæ perdurarunt, eo ſcilicet, cuius gratia id perferebãt, impiorum conatus in earum carne irritos arguẽte, & integra earum corpora non ſine prodigio, & virtute cuſtodiente. Et cùm plures Chriſtiani, & è Chriſtianis aliqui milites eſſent, veriſſimile mihi fit plenos Spiritu ſancto, ac miſerabili Chriſtianarum virginum caſu commotos omnem eos technam adhibuiſſe, vt ſponſas Chriſti, eaſdemque ſorores ſuas ab imminenti ſtupro liberarent, atque virtutum omniũ pretioſiſſimam virginitatem quouis periculo ab impuro lenone redimerent. Quid verò mirum commutatis veſtibus id eos effeciſſe, cùm ipſæ etiam ethnicæ mulieres, vt refert Valer. Max. viros ſuos veſtiũ commutatione è carcere liberarint? Atque id ſæpiùs eadem arte perfectum fuiſſe ideo credibile eſt, quòd aliorum facta, quæ felicem exitum ſortita fuerint, complures imitentur. Vale, pie Lector, & precibus tuis effice, vt anonymam virginem, quam verſibus expreſſi, moribus etiam, & animi conſtantia exprimere concedat mihi ille, qui & virgini faciendi, & mihi ſcribendi conceſſit facultatem.

Lib. de vera virginit.

GVILIELMI DV BLANC,

EPISCOPI GRASSENSIS, ET VENCIENSIS

Virginis Liber.

AD FRANCISCVM Cardinalem de Ioeuſa.

IOEVSA, à veteri cui ſanguis origine ductus
Effulget virtute noua: cui moribus æquum
Ingenium eſt: qui diuitias, artemq. fruendi,
Arca illas, hanc mente tenes: cui corpore pulchro
Pulchrior eſt animus: cui mira iuuenta ſenilis,
Atque eadem fructus commiſcens floribus ætas,
Dum vacat à tanto magnarum pondere rerum,
Da faciles iuſsis pauliſper cantibus aures:
Et tibi ſi caſti mores, ſi vita pudica,
Caſti etiam placeant verſus: ac ſuſpice mecum
Virginis egregiæ magnum, & memorabile factum.
Eſt in complexu Syriæ notiſsima famâ
Vrbs opibus, populiſque potens, de nomine dicta
Antiochi, quæ claram habuit, fouitque puellam
Tempore quo toti Ambroſius notiſsimus Orbi
Cæleſti Ambroſia Inſubres paſcebat, & acer

Sanguineos templorum arcebat limine reges.
Inſigni forma, & præſtanti corpore virgo
Florebat: bina aſtra ſuis referebat ocellis,
Fronte niuem, collo marmor, corallia labris,
Lac digitis, maliſque roſas, ac crinibus aurum.
Ore decor toto, totaque modeſtia fronte
Spirabat: grauis inceſſus, mellita loquela,
Aſpectus mitis: ſed corpore pulchrior ipſo
Mens erat, externum pietas innata decorem
Vincebat: nullaque illi penetrabilis arte
Virginitas, ſummique Dei reuerentia ſummæ.
At ſpecies externa viros magis vna trahebat:
Viſam omnes iuuenes ſuſpirauêre puellam,
Sed viſam nulli iuuenes tetigêre puellam.
Igni carpuntur cæco, per lata vagantur
Compita dementes: toto ſtat pallor in ore,
Perpetui in lingua queſtus, in pectore curæ,
Inque oculis lacrymæ: neque nox tranquilla quietem,
Lætitiam neque læta dies fert vlla: requirunt
Nocte diem, noctemque die; modò languida ponunt
Membra toro, modò corripiunt: neque ſedibus vnquam
Mutatis mutatur amor, ſed permanet idem.
Non ſecus ac tenero ſpatioſi in gramine campi
Cùm iuuenem incautum dipſas calcata momordit,
Vritur infelix, & proni fluminis hauſtu
Creſcit anhela ſitis: nunc hûc, nunc currit & illûc,
Nec dat quæſitam ſedes mutata quietem.
At caſta, & prudens conſtanti mente ſequaces
Virgo procos refugit, nullis vt credula flecti
Blanditijs, nulla arte capi, nulliſque moueri
Cantibus, & nullo corrumpi munere poſſit.
Quinetiam aſpectum, atque hominum commercia vitat:

Et patriâ concluſa domo vel pollice fuſum
Verſat, vel lanas ducit, vel ſedula telas
Artifici depingit acu, quas deſtinat aris:
Atque pio cantu minuit plerumque laborem.
Sed veluti contecti ignes crudelius vrunt,
Sic ſpecies incluſa domi plùs ſubijcit ignes
Pectoribus iuuenum: vrebat quæ viſa puella
Antè procos, pòſt in cineres non viſa reducit.
,,Occulta inſpicimus, ſequimurque fugacia ſemper.
,,Forma audita magis cupitur, quàm viſa: magiſque
,,Auribus in mentem, quàm lumine luminis orbus
,,Serpit amor: regnatque duplex in mente cupido:
Namque & amoris ineſt, & viſûs feruidus ardor.
Adde, quòd & maior ſpecies ea creditur eſſe,
Non quam præſentem iudex explorat ocellus,
Sed procul abſentem quam mens cupidiſſima quærit.
Quin & mente aliquis, geminaque cupidine captus,
Non potis abſtruſæ iactare ad Virginis aures,
Talia nequicquam ſurdas iactabat ad auras.

Bella puella veni: quid me auerſaris amantem?
Quid fugis, aſpectuque meo te ſubtrahis? eheu!
Langueo, & hæc auidus præcordia paſcitur ignis.
Exere formoſos vultus, recludе feneſtras:
Viſa mihi mortem auertes, inuiſaque mortem
Accerſes. Quæ relligio contemnere amantes
Te docuit? quænam pietas hos dedere letho?
Scilicet id Superis gratum eſt? tam ſæua benignis
Relligio placet, & pietas nimis impia Diuis?
Eſſe pudica cupis? ſed te tua forma pudicam
Eſſe vetat, votoque tuus decor ille repugnat
Virgineo. Quòd ſi retinet te fama pudoris,
Caſtaque furtiuo non delectaris amore,

Legitimo

Legitimo thalamos iungamus fœdere, gratum eſt
Coniugium Superis, & ſunt ſine crimine tedæ.
Ne me ſperne virum, ne dedignare maritum.
Quære priùs quis ſi n. Veteri ſum ſanguine cretus:
Clara fuit mihi mater, eques mihi originis auctor:
Prædia ſunt centum, meque oppida quatuor. vnum
Agnoſcunt dominum: perque vrbis compita noſtræ
Me deni ſemper famuli comitantur euntem.
Sex alo quadrupedes nullis virtute ſecundos,
Septenos Spartæ catulos, totidemque Moloſſos.
Et mihi turgeſcunt iuuenili ſanguine venæ,
Flaueſcunt teneræ prima lanugine malæ:
Frons eſt læta mihi, nec me formoſior vllus:
Me mane in ſpeculo, me ſerò in flumine vidi.
Si ſtudia inquiris, non eſt præſtantior alter
Flectere equos, agitare feras, decernere ferro,
Currere, luctari, numeroſos edere ſaltus,
Seu pulſare chelyn, ſeu carmina iungere neruis.
Crudelis quidnam connubia noſtra repellis?
Quid ve lates? ſaltem hoc miſero da munus amanti,
Mi nitido aſſulge vultu, permitte videri.
Non iam coniugium, non lecti fœdera poſco,
Nec ſanctæ careas vt virginitatis honore.
Aſpectus oro ſolos, ſpatiumque furori,
Vt quando inuiſam non viſa Virgine vitam
In tenebris, luctuque traho, nunc denique viſa
Emoriar lætus: tantos mors vna furores
Comprimere, & tantas potis eſt reſtinguere flammas.
Talia ſolus amans ſtudio iactabat inani.

Heu iuuenum amentes mentes! excordia amantum
Corda hominum! Quid non iuuenilia pectora cogit
Cæcus amor? quas non ſceleratas fundere voces?

Aſt vbi ſolicitos Virgo reſciuit amores,
Haud ignara doli externi, proprijque pericli
In magè ſecuras arces, magè fortia valla
Se recipit: iamque auguſtum, anguſtumque Sororum
Cœnobium ingreditur: ſeque ipſa, ſuumque pudorem
Offert ritè Deo, & votis obſtringitur vltrò,
Vt cupidis hac arte procis ſpes prorſus inanes
Eripiat, longèque ſuos ableget amantes.
Haud aliter princeps à milite diues auaro
Cùm petitur, latæ diffidens mœnibus vrbis
In validas arces, caſtellaque tuta recurrit,
Militibuſque auidis anguſta turre receptus
Et tollit prædam, & prædæ ſpem diuitis omnem.
At quò non hominum præceps audacia fertur?
Ipſum etiam in vallum, ſanctamque irrumpit in arcem
Cœnobij: non inſidijs, non fraudibus vllis
Iam petitur Virgo, ſed vi tentatur aperta.
Ceſſat amor, ceſſantque preces, manifeſtaque ſurgit
Proditio, atque ipſa pudor impugnatur in arce.
Fit via vi, franguntque fores, & clauſtra reuellunt
Incenſi furijs iuuenes, rabieque tumentes.
Quis tibi tunc, Virgo, ſenſus, quas ore querelas,
Quas oculis lacrymas, gemitus quos corde ciebas,
Cùm medio in templo, coram lucentibus aris
(Proh ſcelus!) obſcœnos iuuenes, hoſteſque pudici
Aſpiceres voti, & ſimulacrum amplexa Mariæ
Virginis à ſanctis auelli amplexibus, atque
Ad turpes iam iamque trahi miſeranda doleres,
Pallida vicino caſu, ſtuproque futuro?
Nec tentare fugam, celerique euadere curſu
Virgo poteſt, nec vim imbellis propellere tantam.
Heu! quid agat? certam ſuadet contemnere mortem

Relligio, atque illam pudor expectare propinquam.
Venit acerba dies certaminis: vndique ciues
Viſendi ſtudio accurrunt, pueri, atque puellæ,
Cum ſenibus iuuenes, patres cum matribus, atque
Viſuri complent numeroſo compita cœtu.
Siſtitur in medio duplex aggreſſa puella
Certamen, veræ Fidei, ſanctique pudoris,
Namque vbi conſtantem, & firmam vidêre proterui
Illam hoſtes, rubroque genas fulgore notatam,
Auerſantem hominum aſpectus, cædique paratam,
Illicò virginei prætenſo nomine voti
Cœperunt tentare Fidem, cultumque ſuperni
Numinis, erepta vt præda maiore minorem
Eriperent prædam: & iam relligione ſubacta
Virginitas facili pugna deuicta iaceret.
„Scilicet infirma eſt, & ſe vix ipſa tueri
„Virginitas potis eſt, præſtet niſi vera petitum
„Relligio auxilium, & comitem ſe iungat eidem.
Hoſtibus alterutrum Virgo præſtare iubetur,
Aut ficti Iouis ad ſtatuam procumbere ſupplex,
Aut ſpurcum proſtans meretrix intrare lupanar.
Heu! Iouis egregius cultus, memorandaque ſeclis
Neglecti vindicta Dei! pro crimine crimen
Exigitur, ſcelerique ſcelus ſuccedit, vt vndæ
Vnda, Dei falſi ſcelus eſt ſi temnere numen.
Qualis vita horum eſt, quorum ſententia talis?
„Iudicium vitæ indicium eſt, moreſque nefandos
„Arguit, & turpi maculatam crimine vitam.
At trepida, & metuens tentato Virgo pudori,
Non Fidei, nunc hûc animum, nunc diuidit illûc,
Ac tales tacito verſat ſub pectore voces.
Quid nam agimus? vel martyr ero, vel virgo: negatur

Altera palma meis palmis, atque altera laurus
Crinibus, i nò etiam ne nomine virginis illa
Dignanda eſt, ſanctæ quæ virginitatis IESVM
Auctorem negat, vt falſis ſolennia Diuis
Dona ferat, detque exta focis. Tù ne integra virgo,
Si Venerem venerata Deam? Tù ne integra virgo,
Si turpes amplexa viros? Tù ne integra virgo,
Si te tangit amor, ſi quæris amoris amorem?
Quippe animum præſtat potiùs retinere pudicum,
Quam corpus. Res ſi conceditur vtraque, magna eſt:
At ſi non datur, alteri utra ſi fortè carendum eſt,
Corpore commaculer, dum ſim modò mente pudica:
Caſta Deo, non caſta viris: & dicar in æuum
Virgo polo, non virgo ſolo. Nec temporis vnum
Antiqui exemplum, quo nos tueamur, habemus.
Proſtitit antè Rahab certo mercabilis ære
Collapſis nondum Iericho ſub mœnibus vrbis,
Sed poſtquàm Iſacidûm verum pia credidit eſſe
Numen, ab exitio euaſit, pietaſque ſalutem
Attulit, amiſſoque Fides prælata pudori.
Adde, quòd obſeſſæ Iuditha in finibus vrbis
Natiuum adſcito ornatu mentita colorem,
Inque aurum nodata comas, nudata papillas,
Ac picturato veſtem circundata limbo,
Et digitos gemmis, aureſque onerata lapillis
Penſilibus, blandaſque diu modulata loquelas
Languentem externi ducis irritauit amorem,
Eius & exuſſit ſubiectis pectora flammis.
Sed quia relligio tantùm, non improbus illam
Mouit amor, meretrix hùc vſque à nemine dicta eſt.
Exemplo mihi fortè pari ſors proſpera cedet.
Nec ſecus ac ſola tunc relligione retenta

Illæſum pia ſeruauit Iuditha pudorem,
Et patriam incolumem, mihi virginitatis honores
Seruabit ſeruata Fides. Si mota fuiſſet
Laude pudicitiæ, non relligionis amore,
Ipſa ſuum patria amiſſa Iuditha pudorem
Vnà amiſiſſet. Sed cur antiqua reuoluo?
Quid ve exempla moror? Chriſti ſatis vna, ſuperque
Eſt mihi vox. Quicumque (inquit) me propter obibit,
Inueniet per me vitam, lucemq. reuiſet.
Hæc ſecum meditans Virgo ſtillantibus ora
Impleuit lacrymis, medioq in gutture vocem
Continuit, ne vel pubes vicina loquentem
Audiret: nec acerba illi iactura pudoris
Electa eſt, Fidei ſed deuitata prioris.
An verò potuit corpus temerare pudicum,
Quæ neque ſuſtinuit vocem maculare pudicam?
At mihi vox dudum trepidat, ne turpibus actis
Ordine dicendis ſeſe inquinet ipſa, veretur.
Tu mea iampridem terrarum Muſa per Orbem
Didita, quæ verbo nunquam polluta procaci,
Materiæ ſed plena piæ, ſed plena pudoris
Virgineas numeris demulces dulcibus aures,
Ah! pedibus trepidis obſcœnum intrato lupanar,
Inſuetiſque locis inſueta expromito facta.
Imò age, & in medijs puram te ſordibus ipſa
Seruato, innatumque vbiuis retineto pudorem:
Eque lupanari cantatæ Virginis inſtar
Caſta exi, quæ caſta ſubis infame lupanar:
Solis vt impuram ingreditur lux pura cloacam,
Et pura egreditur, nec turpi ſplendida cœno
Sordeſcit. Vos ô, ſanctiſsima turba, puellæ,
Attonitas noſtris occludite cantibus aures.

Ducitur ad ſpurcum Virgo puriſsima lumen:
Imò pias noſtris recludite cantibus aures.
Integra proſtitui, ſed non temerarier vſquam
Virgo poteſt. Vbicumque Dei eſt caſtiſsima virgo,
Ipſa Dei templum eſt: magnus nec pectore caſto
Excutitur Deus; inq. locis infamibus eſſe
Virginitas famoſa poteſt: quin omne locorum
Dedecus illa abolet. Iam tota ex vrbe ruentes
Incenſi rabie, ſtimuliſque libidinis acti
Concurrunt iuuenes, turpique in fornice captæ
Prædæ inhiant omnes. Vos Virginis acta, puellæ,
Diſcite mira, loci tantùm dediſcite nomen.
Bella, ſed imbellis gemit intùs clauſa columba,
Accipitres ſtrepitant extrà diſcordibus acti
Motibus, inque vicem certant, quis primus opimam
Inuolet in prædam, roſtrum quis primus in illam
Figat, & optato ſatiet ſe corpore primus.
Virgo ſed impuro faciens è fornice templum
Flexit vtrumque genu, & ſupplex oculosque, manuſque
Suſtulit in cælum, cæliq. precata potentem.
Chriſte, ait, auguſta quondam de virgine naſci
Dignate, intactam nunc me dignare tueri.
Ipſe tuum auxilium Daniel cùm virgo vocaret,
Ieiuni per te rabies compreſſa leonis:
Quiq. feras domuiſti, hominum fera corda domare
Nunc potes, & tantos populi compeſcere motus.
Qui piceas flammas hebetaſti in finibus olim
Chaldæis, per quem accenſus rorauit & ignis,
Tu modò conceptas iuuenili pectore flammas
Exchte, & effuſis nunc opprime roribus ignes.
Iſacidis fluctus ingenti mole coacta
Subſidere olim propria non ſponte marini,

Sed virtute tua: quantis nunc opprimar vndis
Chriſte vides, qui cuncta vides: hûc diuide fluctus,
Atque illûc, diſcretum incedam vt ſicca per æquor.
Vrbe Semiramia falſi rea criminis vxor
Poplite ſubmiſſo cùm te peritura vocaret,
Iniuſtam euaſit manifeſto numine pœnam,
Et vitam, & famam, & caſtum tutata pudorem
Rettulit inſignes inimico ab amante triumphos.
Nunc vel vita mihi, vitâ vel carior ipſâ
Virginitas petitur: iacturæ proxima tantæ
Ad te confugio, & genibus tua numina flexis
Inuoco, tu ſimiles humili concede triumphos.
Rex Ieroboamus ſacri donaria templi,
Atque aras auſus dextra violare profana,
Illam areſcentem iuſto te vindice vidit.
Nos tua templa ſumus, tua nos altaria viua:
Tu Deus in nobis habitas, noſtroq. benignus
Vteris hoſpitio: Deus, ô Deus ecce profana
Turba tuum inuadit templum, donaria tractat
Sacrilegis dextris, & iamiam polluit aras.
Ne tantum patiare nefas, ſed corpore noſtro
Sacrilegas arceto manus, ſtuprumq. nefandum.
Illa tuis quondam toties patefacta miniſtris
Nunc mihi ſe virtus aduerſo tempore prodat.
Quæq. modò ad fœdum veni rapienda lupanar,
Virgo abeam, tibi lausq. nouis noua ſurgat ab actis.
Sic Chriſtum orabat Virgo, ſed plura precari
Conantem impediunt lacrymæ toto ore volutæ,
Eque repentino formido exorta fragore.
Namque ferox foribus confractis irruit intrò,
Et totum horrifico complet clamore lupanar
Terribili aſpectu miles, cui ferrea caſſis

Comprimit hirſutos criſtato vertice crines,
Lorica ære rigens, conſertaque pluribus hamis
Circundat fortes humeros, dextraque coruſcat
Vagina ereptus mucro, clypeuſque ſiniſtra.
Obſtupuit primùm Virgo, ſubitoque pauore
Diriguit. Quid ni truculento milite viſo
Dirigeret ſola, imbellis, ſimplexque puella,
Si priùs huic populus ceſſit tremebundus, & antè
Diriguit ſancto pubes inimica pudori?
Ad ſe Virgo redit, vultusque, animoſque priores
Paulatim recipit, ſecumque ita pectore verſat.
En quid ego aſpicio? quis ſe mihi belliger offert?
Forſitan & nobis veniendi incognita cauſa.
Viſurus pœnam Helciadis, non illius ergò
Venerat inſignis puerili ætate Prophetes.
Quam tamen iniuſte populus damnauerat omnis,
Solus hic inſontem abſoluens à morte reduxit.
Et nunc forſan ouis latitat ſub pelle lupina.
Quis ſcit an aduerſo cuſtos de milite fiat?
Et ſuus eſt Chriſto miles, ſua & agmina Chriſto.
Forſitan irrupit ſtricto ſicarius enſe.
Quid trepidas anima, & vano terrore repleris?
Martyr ero, virgoque ſimul. Victoria duplex
Naſcetur, geminaque incingam tempora lauro.
Sic mea ſe pietas, caſto prælata pudori
Quæ fuerat, caſtum ſeruabit & ipſa pudorem.
Hæc agitat ſecum Virgo præſaga futuri,
Quam miles blandus compellat vocibus vltrò.
Pone metum dilecta ſoror, non cominus ad te
Accedo, vt vitam eripiam, floremque pudoris,
Sed contrà vt vitam tuear, floremque pudoris;
Tu modo me ſerues, à me ſerueris vt ipſa.

Quique

Quique domum infamem tanquam ſtuprator inivi,
Egrediar martyr, ſi fert ita corde voluntas.
Tu mihi martyrij inſignem ne praeripe palmam.
Mutemus tantùm veſtes, ea ſola pudoris
Seruandi ratio: haec veſtis tibi conuenit aptè,
Iſta mihi: pulchrè ſed conuenit vtraque Chriſto.
Me tua belligerum verè, mea teq. pudicam
Efficiet veſtis: ſic tu velaberis aptè,
Aptiùs ipſe tamen ponam te ſoſpite amictus
Virginis, vt martyr deluſo agnoſcar ab hoſte.
Sume habitum, qui te velet, celetque puellam:
Trade habitum, quo martyr ego de milite fiam,
Induere hanc chlamydem, quae virginis occulat artus,
Atque pudicitiam ignaro tutetur ab hoſte.
Accipe terribilem galeam, criſtiſq. minacem,
Quae tegat auratos crines, abſcondat & ora;
Nam quibus obſcœnum contingit inire lupanar,
Egreſſis pudor eſt, facieſq. rubore notatur.
Extuleris poſtquàm greſſum, ne colla reflecte,
Sed memori vxorem Loti tu mente repone,
Quae caſtos quamuis oculos reflexit ad vrbem
Obſcœnam, ſalis in ſtatuam conuerſa remanſit:
Neu metuas, Chriſto ſua ne ſint integra dona.
Pro te ego deuoti ſpumantes ſanguinis hauſtus
Aeterno libabo Deo, tuque ipſa vouebis
Armigeram pro me. Tu miles: militat omnis
Virginitas, & habent caſtae ſua caſtra puellae:
Aeterna in cœlo emeritis ſtipendia dantur.
Eſt tibi iuſtitiae ſemper lorica ſagittis
Inuia, lethiferos validum munimen ad ictus.
Eſt Fidei ſcutum, quo ſpicula iacta repellas.
Eſtque ſalutaris galea: hîc tutela ſalutis

Semper adeſt, vbi Chriſtus adeſt:nam coniugis vnum
Vir caput eſt, Chriſtus caput eſt ſed virginis vnum.
Hos inter monitus, hæc inter lenia verba
Ex humeris clamydem miles deponit, & offert
Virgini,at oblatam primùm pia Virgo recuſat.
Eſt miles ſuſpectus ei, ſuſpectus amictus:
Quicquid id eſt, timet ignotum,veſtesq.ferentem.
Vtrùm ſtuprator fictus, ſicarius vtrùm
Offerat, in dubio eſt, variantque labantia corda.
Prætendit chlamydem miles, prætendit at illa
Ceruicem, vt Chriſti potiùs ſanctiſsima martyr
Incipiat fieri, virgo quàm deſinat eſſe.
Quæ pugnæ facies? & quæ ſpectacula rerum?
Quæ pompa amborum eſt? quæ gratia honeſtat vtrumque,
Cùm de martyrio certamen fornice in ipſo
Inſtituit ſolus ſola cum virgine miles?
En quos diſsimiles natura creauerat olim,
Dextra Dei ſimiles reddit, coniungit & arctè.
Hebræi ſic priſca canunt oracula vatis
Affore, coniuncti ſimul vt paſcantur & agnus,
Et lupus:euentis præſagia vera probantur.
Agna, lupuſque ſimul iam nunc ſociantur, & vnâ
Non modò paſcuntur, verùm mactantur & vnâ.
Ergo depoſito paulatim Virgo timore
Non curris diducta animum, non ampliùs anceps,
Sed fidens animi proprios deponit amictus,
Sumit & oblatos: nunc caſside contegit ora,
Atque comas:nunc & loricâ pectora munit,
Candida nunc ocreis inuoluit crura decoris,
Et clamyde aſſumpta nunc velat cetera membra.
Sed neque diuerſos tantùm mentitur amictus
Militis ignoti, aſt eius mentitur & arma.

Enſe armat ſtricto dextram, clypeoque ſiniſtram
Inſertat: ſic erumpit pro milite Virgo
Fornice ab obſcœno: quin audens militis ipſa
Greßibus incedit: res hæc ſpectantibus infert
Terrorem: cedunt omnes, qui turpia tecta
Vallarant: medios elabitur illa per hoſtes.
Haud ſecus ac viſæ iuuenum manus ardet amore
Quæ prædæ, & vaſta ſaltus indagine cinxit,
Toruus aper cæco ſi fortè erumpat ab antro,
Tota tremit, ceditque loco: turbam horridus ille
Per mediam euadit, nec venatoribus ipſis
Præda datur. Vos ô ſeri miranda nepotes
Accipite, atque animum noſtris aduertite dictis.
Virgo lupanari egreditur, quod ſecula nulla
Viderunt, neque fortaßis ventura videbunt.
Euolat è cauea clathris illæſa columba,
Non alis tamen ipſa ſuis: pernicior illam
Penna vehit, ſanctique aſpirat flaminis aura.
Nec verò ad caueam reuolat, cupit eſſe columbæ
Dißimilis, quæ quondam à patre emiſſa Noëmo
Ingenti ex arca ingentem reuolauit ad arcam.
Quantùm arca fornix, tantùm ales ab alite diſtat.
Accipitres foris expectant, creduntque ferocem
Exiſſe armigerum, non euaſiſſe columbam.
Dumque lupi circùm denſis vlulatibus agnam
Ad prædam appeterent, reliquis audacior vnus,
Atque moræ magis impatiens ſeſe intulit intrò.
Et iam belligerum attrectat pro Virgine, cùm ſe
Illicò deluſum ſenſit, tantaque repentis
Perculſus nouitate rei, defixus in vno
Conſtitit obtutu, veluti pauet inſcia virgo,
Quæ violam digito credens decerpere in hortis,

Pro viola latitantem anguem, pro flore venenum
Colligit, & falſa ſe clamat imagine luſam.
Is demum admirans has rupit pectore voces.
Hocce quid eſt? quidnam in noſtros incurrit ocellos?
Aſpectus án falſa meos deludit imago?
Ingreſſa eſt intrò virgo, vir cernitur intûs.
Vnde vir aduenit? vel quònam virgo receßit?
Quæ noua Peligno dicta Iphigenia Poëtæ?
Suppoſita cerua ſeruata eſt virgo Mycenis,
Et nunc ſuppoſito ſeruatur milite virgo?
In noua tot quondam mutatas corpora formas
Quis neget à Diuis, ſi nunc ex milite virgo?
Atque etiam audieram quem Virgo colebat IESVM,
(Nunc colit at miles) Galilææ in finibus olim
Vertiſſe allatas in vina rubentia lymphas.
At non credideram ignarus, ſed credere fas eſt
Mutaſſe hunc latices, ſexus cùm mutet & ipſos.
Quid moror hîc demens, pedibus nec quæro ſalutem,
Dum ſum, qui fueram? ſed iam mutatus & ipſe
An ne fui, qui cerno aliud, quàm credere poßim?
Mutatus certè locus eſt: paulò antè lupanar
Ingreſſus fueram, ſed nunc vadimonia cerno.
Mutatoque loco egrediar mutatus & ipſe:
Intraui hûc laſciuus, at hinc exibo pudicus.
Hæc cùm turbatus fudiſſet verba, receßit.
Fornicis obſeßi qui clauſa ad limina dudum
Expectans populus vario ſermone fremebat,
Vulgata nouitate rei ſeſe agmine denſo
Intrò agit, armigerum vt videat de virgine factum.
Haud ſecus ac paſtæ feri ſub veſperis ortum
Quæ patulo ad caulas redeunt è rure capellæ,
Agmine conferto irrumpunt in ouilia, ſeque

Inuoluunt omnes ſimul, impediuntque viciſsim.
Ingreſſus populus ſe cauta à Virgine poſtquàm
Deluſum nouit, primos acuiſſe furores
Fertur, & vltrici pœna mulctaſſe relictum.
Sic ergo egreditur non ſolùm è fornice virgo,
Verùm etiam martyr: nam qui pro virgine prenſus,
Confeſtim hunc etiam populus pro virgine damnat.
Ecce trahebatur palmas poſt terga reuinctus,
Atque puellari miles velatus amictu
Ad loca ſupplicij: populus ſine lege ruebat
Viſendi ſtudio: pars ad ſublimia tecta
Scandere, pars plateas, pars & complere feneſtras.
Virginis elapſæ res vt peruenit ad aures,
Non tulit hanc ſpeciem præſtans virtute virago,
Et ſeſe medios moritura iniecit in hoſtes,
Protinus exclamans: coràm, quam quæritis, adſum
Virgo lupanaris clauſis erepta cauernis,
Sed non martyrio, non morti erepta beatæ.
Porrigo quod vobis, in me conuertite ferrum.
Abijcio clypeum hunc, ictus ne fortè retundam.
Si petitis caput, en galeam depono rigentem:
Sin humeros, humeris loricam detraho ahenam.
At reſtet mihi ſola chlamys, qua membra tegantur,
Pro chlamyde aut miles proprios mihi reddat amictus,
Laſciui ne fortè meo ſatientur ocelli
Corpore, at extinctæ maneat mihi fama pudoris.
Tuque pudicitiæ cuſtos fidiſsime noſtræ,
Velaris qui veſte mea, tete eripe letho:
Meque vnam permitte mori, priùs vna petebar.
Ne vitam ſerua, ſatis eſt ſeruaſſe pudorem.
Nolo equidem duplici nexu tibi vincta teneri.
Quid loquor imprudens? iactura facillima vitæ,

Et nobis plerumque mori, quàm viuere præſtat.
Auſpicijs laurum antè tuis ſum nacta pudoris,
Martyrij inuideas dextro ne tempore palmam.
Miles at obniti contrà, atque has reddere voces
Imò virgo abeas, maneamque ego martyr, & vna
Sis contenta precor, mihi reſtet vt altera laurus.
Si tibi virgineos ſeruaui fidus honores,
Quæ tandem nos martyrio concludere vitam
Inuidia eſt? & nos aliam fas quærere laurum.
Solus ego ad mortem rapior, ſententia & vnum
Implicat: hæc vbi me tenuit, te te illicò ſoluit.
Sic ille: at Chriſti nondum contenta puella
Contrà ait: ipſa vadem elegi non mortis, at vnum
Optaui prædem te virginitatis amatæ.
Si mihi virginitas petitur, manet vſque (fatebor)
Nexus: ſin autem ſanguis depoſcitur à me,
Non egeo vadibus, cùm ſim ſatis vna, ſuperque,
Nec mihi iam deſit ſoluendi oblata facultas.
Quæ pro me lata eſt, in me ſententia lata eſt.
Certè ego ſi prædem argenti te fortè dediſſem,
Meque abſente tuum pacto pro fœnore durus
Creditor à iuſto retuliſſet iudice cenſum,
In me ageres exinde, tuos nam ſoluere nexus
Cenſibus ipſa meis iuris ratione tenerer.
Ni facerem, quis non dignam me morte putaret?
At verò capitis quantò eſt ingentior huius
Vſura? & quàm grande tibi nunc debeo fœnus
Defenſo ambitæ pro virginitatis honore?
Faxo, inſons moriar, moriar ne noxia: nil hic
Eſt medium; quin alterutrum præſtare neceſſe eſt:
Namque tui vel nunc fiam rea ſanguinis ipſa,
Vel martyr fiam ipſa meo. Nec pernego, fugi:

Sed citò ſi rediÿ, arcendam quis iudicet eſſe?
Sin mora facta mihi, abſolui quo iudice poſſum?
Imò Cæſareæ plùs ſio obnoxia legi,
Quippe fugæ rea facta, alienæ cædis & auctor.
Quæque priùs ſtupro non ſuffecêre nefando,
Sufficiunt mea membra neci: atque in virgine pura
Vulneribus locus eſt, non probris. Ipſa ego per te
Dedecus euaſi, verùm tibi cedere nunquam
Martyrium volui. Veſtis mutata (fatemur)
Ipſa fuit, ſed non mutata profeßio nobis.
Quòd ſi martyrium præſens mihi præripis, à te
Circumuenta fui, non autem virgo redempta.
Cede precor: tu mecum vltrà contendere noli.
Nec mihi iam factis, aut verbis ipſe reſiſte,
Ne ve mihi extorque munus, quod ſponte dediſti.
Dum mihi poſterior ſententia tollitur à te,
Redditur ecce prior: mutantur prima ſecundis
Iudicia: & tenear ni poſteriore, tenebit
Me ſaltem prior aſtrictam ſententia. Sed quid
Ambo moram trahimus, fruſtra & contendimus ambo?
Iudicio ſatis ambo ſumus, pœnamque ſubire
Mortis vterque poteſt, ſi me patiare priorem
Occidi. Vna poteſt pœna exercerier in te,
At præter pœnam pudor eſt obnoxius in me.
Et tibi maioris parietur gloria palmæ,
Ipſa tuo auxilio ſi fiat adultera martyr,
Quam per te contra ſi martyr adultera fiat.
Sic concertabat dudum cum milite Virgo.
Ioeuſa extremum certaminis accipe finem.
Pugnarunt ambo, vicerunt ambo: duobus
Quæſita vt palma eſt, ſic palma inuenta duobus.
Nec diuiſa fuit, verùm coniuncta corona

Martyrij : officijs certauit vterque viciſſim:
Altera principium pœnæ, fuit exitus alter:
Et mixto amborum ſpumauit ſanguine tellus.
O Ioeuſa mei carcerque & meta laboris,
Primo dicte mihi verſu, dicende ſupremo,
Quem puerum ipſe puer, iuuenis iuuenemq. ſequebar,
Virq. virum iam nunc comitor plùs omnibus vnum
(Atque ſenex vtinam pedibus ſenis oſcula figam,
Et venerer Petri ſublimi in ſede locatum)
A te cœpta in te veluti mea deſinet ætas,
Sic incœpta tuo finitur nomine Virgo.
Imò nec alterutri finis, nam carmine noſtro
Aeternum nomen, Virgoq. æterna manebit.

FINIS.

EX S. AMBROSIO LIB. II. DE VIRGINIBVS, AD MARCELLINAM SOROREM.

ANTIOCHIÆ nuper virgo quædam fuit fugitans publici viſus. Sed quò magis virorum euitabat aſpectum, eò ampliùs incendebat. Pulchritudo enim audita, nec viſa plùs deſideratur, duobus ſtimulis cupiditatum, amoris, & cognitionis: dum & nihil occurrit, quod minùs placeat, & plus putatur eſſe, quod placeat; quod non iudex oculus explorat, ſed animus amator exoptat. Itaque ſancta virgo, ne diutiùs alerentur potiendæ ſpe cupiditatis, integritatem pudoris profeſſa, ſic reſtinxit improborum faces vt non iam amaretur, ſed proderetur. Ecce perſecutio, puella fugere neſcia, certè pauida ne incideret in inſidiatores pudoris, animum ad virtutem parauit: tam religioſa, vt mortem non timeret: tam pudica, vt expectaret. Venit coronæ dies. Maxima omnium expectatio. Producitur puella, duplex profeſſa certamen: & caſtitatis & religionis. Sed vbi viderunt conſtantiam profeſſionis, metum pudoris, paratam ad cruciatus, erubeſcentem ad aſpectus, excogitare cœperunt, quemadmodum ſpecie caſtitatis religio-

nem tollerent: vt cùm id abſtuliſſent, quod erat amplius, etiam id eriperent, quod reliquerant. Aut ſacrificare Virginem, aut lupanari proſtitui iubent. Quomodo Deos ſuos colunt, qui ſic vindicant? aut quemadmodum ipſi viuunt, qui ita iudicant? Hìc puella non quòd de religione ambigeret, ſed de pudore trepidaret, ipſa ſecum: Quid agimus? Hodie aut martyr, aut virgo. Altera nobis inuidetur corona. ſed nec virginis nomen agnoſcitur, vbi virginitatis auctor negatur. Nam quemadmodum virgo, ſi meretricem colas? quemadmodum virgo, ſi adulteros diligas? quemadmodum virgo, ſi amorem petas? Tolerabilius eſt enim mentem virginem quàm
Ioſ.2.& 6. carnem habere. Vtrumque bonum, ſi liceat: ſi non liceat, ſaltem non homini caſtæ, ſed Deo ſimus. Et Rahab meretrix fuit: ſed poſtquàm Deo credidit, ſa-
Iudith.9. lutem inuenit. Et Iudith ſe, vt adultero placeret, ornauit: quæ tamen quia hoc religione, non amore faciebat, nemo eam adulteram iudicauit. Bene ſucceſſit exemplum. Nam ſi illa quæ ſe commiſit religioni, & pudorem ſeruauit, & patriam: fortaſſis & nos ſeruādo religionem, ſeruabimus etiam caſtitatem. Quòd ſi Iudith pudicitiam religioni præferre voluiſſet, perdita patria etiam pudicitiam perdidiſſet. Itaque tali-
Matth. 10. bus informata exemplis, ſimul animo tenens verba Domini, quibus ait: Quicumque perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam; fleuit, & tacuit, ne eam vel loquentem adulter audiret: nec pudoris elegit iniuriam, ſed Chriſti recuſauit. Exiſtimate vtrùm adulterare potuerit corpus, quæ nec vocem adulterauit? Iamdudum verecundatur oratio mea & quaſi audire geſtorum ſeriem crimi-

noſam, atque explanare formidat. Claudite aurem
virgines Dei; ducitur puella Dei ad lupanar: ſed ape-
rite aurẽ virgines; Chriſti virgo proſtitui poteſt, adul-
terâri non poteſt. Vbicumque Dei virgo eſt, Dei tem-
plum eſt: nec lupanaria infamant caſtitatem, ſed ca-
ſtitas etiam loci abolet infamiam. Ingens petulan-
tium concurſus ad fornicem. Diſcite martyrum mi-
racula, ſanctæ virgines, dediſcite locorum vocabula.
Clauditur intus columba, ſtrepunt accipitres foris,
certant ſinguli, quis prædam primus inuadat. At illa
manibus ad cælum leuatis, quaſi ad domum veniſſet
orationis, non ad libidinis diuerſorium, Chriſte, in-
quit, qui domuiſti virgini feros leones, potes etiam *Dan. 14.* *Dan. 3.*
domare hominum feras mentes. Chaldæis rorauit *Exod. 14.*
ignis, Iudæis ſe vnda ſuſpendit, miſericordia tua, non *Dan. 13.*
natura ſua: Suſanna ad ſupplicium genu fixit, & de *3. Reg. 13.*
adulteris triumphauit: Aruit dextera, quæ templi tui
dona violabat: nũc templum ipſum attrectatur tuũ,
ne patiaris inceſtum ſacrilegij, qui non paſſus es fur-
tum. Benedicatur & nunc nomen tuum: vt quæ ad
adulterium veni, virgo diſcedam. Vix compleuerat
precem, & ecce vir militis ſpecie terribilis irrupit.
Quemadmodum eum virgo vt vidit, tremuit, cui po-
pulus tremens ceſſit? Sed non illa immemor lectio- *Dan 13*
nis: Et Daniel, inquit, ſupplicium Suſannæ ſpectatu-
rus aduenerat: & quam populus damnauit, vnus ab-
ſoluit. Poteſt & in hoc lupi habitu ouis latere. Ha- *Matth. 7.*
bet & Chriſtus milites ſuos, qui etiã legiones habet.
Aut fortaſſe percuſſor intrauit. Ne vereare anima, *Matth. 26.*
talis ſolet martyres facere. O virgo, fides tua te ſal-
uam fecit. Cui miles: Ne quæſo paueas ſoror: fra-
ter hũc veni ſaluare animam, non perdere. Serua me,

vt ipſa ſerueris. Quaſi adulter ingreſſus, ſi vis martyr egrediar. Veſtimenta mutemus, conueniunt mihi tua, & mea tibi, ſed vtraque Chriſto. Tua veſtis me verum militem faciet, mea te virginem. Bene tu veſtieris, ego meliùs exuar, vt me perſecutor agnoſcat. Sume habitum, qui abſcondat feminam: trade qui conſecret martyrem. Induere chlamydem, quæ occultet membra virginis, ſeruet pudorem. Sume pileum, quod tegat crines, abſcondat ora. Solent erubeſcere, qui lupanar intrauerint. Sanè cùm egreſſa fueris, ne reſpicias retrò, memor vxoris Lot, quæ naturam ſuam, quia impudicos licet caſtis oculis reſpexit, amiſit. Nec verearе ne quid pereat ſacrificio. Ego pro te hoſtiam Deo reddo, tu pro me militem Chriſto: habes bonam militiam caſtitatis, quæ ſtipendijs militat ſempiternis: loricam iuſtitię, quę ſpiritali munimine corpus includat: ſcutum fidei, quo vulnus repellas: galeam ſalutis. Ibi enim eſt præſidiũ noſtræ ſalutis, vbi Chriſtus. Quoniam mulieris caput vir, virginis Chriſtus. Et inter hæc verba chlamydem exuit. Suſpectus tamen adhuc habitus & perſecutoris, & adulteri. Virgo ceruicem, chlamydem miles offerre. Quæ pompa illa, quæ gratia, cùm in lupanari de martyrio certarent? Addantur perſonæ, miles, & virgo: hoc eſt, diſſimiles inter ſe natura, ſed Dei miſeratione cõſimiles, vt compleatur oraculum: tunc lupi, & agni ſimul paſcentur. Ecce agna, & lupus non ſolùm paſcuntur ſimul, ſed etiam immolantur. Quid plura? Mutato habitu euolat puella de laqueo, iam non ſuis alis, vt pote quæ ſpiritualibus ferebatur: & (quod nulla vnquã viderunt ſecula) egreditur de lupanari virgo, ſed Chriſti. At illi qui vide-

Geneſ. 9 · *Epheſ. 6.* · *1. Cor. 11.* · *Eſai. 65.*

bant oculis, & non videbant corde, ceu raptores ad agnam, lupi fremere ad prædam. Vnus, qui erat immodeſtior, introiuit. Sed vbi hauſit oculis rei textum: Quid hoc, inquit, eſt? Puella ingreſſa eſt, vir videtur. Ecce non fabuloſum illud, cerua pro virgine, ſed quod verum eſt, miles ex virgine. At etiam audieram, & non credideram, quòd aquam Chriſtus in vina conuertit: iam mutare cœpit & ſexus. Recedamus hinc, dum adhuc qui fuimus, ſumus. Numquid & ipſe mutatus ſum, qui aliud cerno, quàm credo? Ad lupanar veni, cerno vadimonium: & tamen mutatus egrediar, pudicus exibo, qui adulter intraui. Indicio rei, quia debebatur tanto corona victori, damnatus eſt pro virgine, qui pro virgine comprehenſus eſt. Ita de lupanari non ſolùm virgo, ſed etiam martyres exierunt. Fertur puella ad locum ſupplicij cucurriſſe, certaſſe ambos de nece, cùm ille diceret: Ego ſum iuſſus occidi, te abſoluit ſententia, quando me tenuit. At illa clamare: non ego te mortis vadem elegi, ſed prædem pudoris optaui. Si pudor quæritur, manet nexus: ſi ſanguis expoſcitur, fideiuſſorem non deſidero, habeo vnde diſſoluam. In me lata eſt iſta ſententia, quæ pro me lata eſt. Certè ſi pecuniæ te fideiuſſorem dediſſem, & abſente me iudex tuum cenſum fœneratori adiudicaſſet, eadem me ſententia conuenires, meo patrimonio ſoluerem tuos nexus. Si recuſarem, quis me indignam morte cenſeret? Quantò maior eſt capitis huius vſura? Moriar innocens, ne moriar nocens. Nihil hic medium eſt: hodie aut rea ero tui ſanguinis, aut martyr mei. Si citò redij, quis me audet excludere? Si moram feci, quis audet abſoluere? Plùs legibus debeo: rea

Eſai. 6.

Ouid. lib. 12. Metamorph.

Ioann. 2.

non ſolùm fugæ meæ, ſed etiam cædis alienæ. Sufficiunt membra morti, quæ non ſufficiebant iniuriæ. Eſt in virgine vulneri locus, qui non erat contumeliæ. Ego opprobrium declinaui, non martyrium tibi ceſſi. Veſtem, non profeſſionem mutaui. Quòd ſi mihi præripis mortem, non redemiſti me, ſed circumueniſti. Caue quæſo ne contendas, caue ne contradicere audeas. Noli eripere beneficium, quod dediſti. Dum mihi hanc ſententiam negas, illam reſtituis ſuperiorem. Sententia enim ſententia ſuperiore mutatur. Si poſterior me non tenet, tenet ſuperior. Poſſumus vterque ſatisfacere ſententiæ, ſi me priùs patiaris occidi. In te non habent aliam, quam exerceant pœnam, in virgine obnoxius pudor eſt. Itaque glorioſior eris, ſi videaris de adultera martyrem feciſſe, quàm de martyre adulteram reddidiſſe. Quid expectatis? Duo contenderunt, & ambo vicerunt: nec diuiſa eſt corona, ſed addita. Ita ſancti martyres inuicem ſibi beneficia conferentes, altera principium martyrio dedit, alter effectum.

Epigramma Guilielmi du Blanc Iun. Epiſcopi Graſſen. & Vencien.

Aſpectus hominum quæ deuitare ſolebat,
Et ſola in patria Virgo latere domo,
Nunc oculis hominum ſpectanda exponitur: illam
Non anguſta domus, vaſtus at Orbis habet.
Prodiga conſpicuum dederat natura decorem,
Gratior à noſtra ſed datur arte decor.
Illum anni minuunt, decor hic augebitur annis:
Pulchrior hòc Virgo, quò magè fiet anus.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

FRANCISCO A GIOIOSA S. R. E. CARDINALI, SVO, ET GALLIARVM Patrono.

Guil. Epiſc. Graſſenſis, & Vencienſis S. P. D.

MIRIFICE me affecit (Cardinalis ampliſſime) grauiſſima illa Oratio de Beato Hyacintho in Sanctorum numerum referendo, quam CLEMENS VIII. in auguſtiſſimo Cardinalium,& Epiſcoporum conſeſſu è ſolio Pontificio habuit luculentè. Sed eò magis affecit, quòd ab animo verè pio viſa eſt proſiſciſci. Et iniecta mihi ſtatim cogitatio de vita, & apotheoſi ipſius Hyacinthi carmine perſcribendis. Cùm enim aut in optimarum artium, & diſciplinarum ſtudijs, aut in huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ obſequio omnemmeam egerim ætatem, ſcis

ipſe me inter varias artes, quas hactenùs tractaui, nonnihil etiam in Poëtica valere. Et verò inter varios libros, quos de rebus grauiſſimis, quantum per ingentes Paſtoralis officij curas datur, conſcribere ſoleo, nonnullos eſſe non diffiteor, qui ad Poëticen ſpectant, quam Preſbytero, Epiſcopo, Cardinale, ipſo denique ſummo Pontifice digniſſimam ſemper iudicaui. Nam (vt aliquam ſacrorum partem Bibliorum verſibus conſtantem, nimirùm Dauidis Pſalmos, Threnos Hieremiæ, & Salomonis Cantica omittam) ſcripſerunt Carmina Heroica Tertullianus, Iuuencus, Sedulius, Presbyteri omnes. Gregorius autem Saſimæ primùm, deinde Nazianzi, ac demùm Conſtantinopolis Epiſcopus & Tragœdiam, & alia erudita Poëmata Græcè ſcripſit, vt interim ſilentio prætereeam Hilarium Arelatenſem, Saluianum Maſſilienſem, Auitum Viennenſem Epiſcopos omnes, & Poëtas bonos: nec non Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum, quem Honorius II. Pontifex ob Poëſin tanta beneuolentia complexus eſt, vt nullum genus officij prætermitteret, quo eum ad honeſtiorem dignitatis gradum euehi poſſe exiſtimaret, & Turonenſem Archiepiſcopum crearet. Iam verò Arator S. R. E. Cardinalis, idemque Poëta illuſtriſſimus, Hiſtoriam Apoſtolicam elegantiſſimis carminibus pertractauit, opuſque ſuum Vigilio Pontifici cùm obtuliſſet, efflagitarunt omnes, vt publicè de integro legeretur: atque ipſius ſummi Pontificis iuſſu Cardinalis Auctor in Aede Sancti Petri ad Vincula, & in magna doctiſſimorum hominum corona libros ſuos quater recitauit, cùm vno die vnius tantùm

tùm libri dimidium vix legi poſſet ob aſſiduas repetitiones, quas auditores fauſtis, crebriſque acclamationibus expetebant. Damaſum porrò, & Pium II. vtrumque ſummum Pontificem ſcribendorum carminum ſcientiam habuiſſe quis ignorat? At quorundam Poëmata pia magis, quàm erudita dicet aliquis. Fateor. Sed illos ſi Poëſis non adeò culta non dedecuit, quantò magis, quæſo, cultior decuiſſet? Rem igitur, ſicut intelligis, perſonæ meæ conſentaneam vt poſteà adgrederer, & tempus me, & locus inuitarunt. Cùm enim in illos ſaluberrimos, & amœniſſimos hortos Farneſianos vnà ſeceſſiſſemus, & in ijs aliquam veris partem ſoli ageremus, dum tu illic totus eras in Eccleſiaſtica Hiſtoria peruolutanda, meum ipſe inter illos effloreſcentes Hyacinthos meditabar Hyacinthum. Quid enim verno tempori tam conueniens, quàm flos vernus, & carminum meditatio? Quid hortis tam proprium, quàm flos hortenſis, idemque verſibus, qui præcipuè in hortis naſcuntur, celebrandus? Atque, vt tam commodam occaſionem arriperem, fecit ipſius operis mei finis, quo vno duos pariter patronos demerebor, & tanquam de eadem fidelia duos parietes dealbabo. Cùm enim quærendum ſit in primis regnum Dei, mihi ipſe apud Deum in cælis patronum conſtituam Hyacinthum: deinde verò, quia quæ hîc in terris vel maximè à Sede Apoſtolica adijci poſſunt, negligenda non ſunt, tu mihi erga ipſius Dei Vicarium patronus eris, qui tu mihi apud quatuor ſummos Pontifices opera, & officio nunquam anteà defuiſti; vt & tibi ipſe nunquam aut fide, aut obſequio defui. Verè enim hoc dicam (Cardinalis) vt ego ex ijs, qui te ſeriò & amant, &

M

obſeruant, concedo nemini, ita certè propenſiorem tuam erga me voluntatem ſæpe olim animaduerti, fortaſſis etiam propenſiora facta aliquando animaduerſurus. Vale interim (Patrone optime) Romæ, ex ædibus tuis. V. Cal. Quintileis CIↃ. IↃ. XCIV.

Epigramma Guilielmi du Blanc Iun. Epiſcopi Graſſen. & Vencien.

Quid ſibi vult ortus Scythicis Hyacinthus in oris?
An gemmam? an florem? quin magè vtrumque reor.
Late gemma nitet: flos longè ſpirat odorem,
Luce odor in dubio eſt, lux an odore prior.
Gemma colore oculos paſcit, flos paſcit & illos,
An gemmæ? an floris gratior ipſe color?
Latiùs at poſthac lucebit carmine gemma,
Verſibus & floris longiùs ibit odor.
Gratius & libro ſtudioſos paſcet ocellos
Gemmeus ille color, floreus ille color.
Sed gemmam & florem retinebunt ſidera ſemper:
Hîc tria reſtabunt lux, odor atque color.

GVILIELMI DV BLANC,

EPISCOPI GRASSENSIS ET VENCIENSIS,

HYACINTHI

Liber Prior.

S*ACRA, virumque cano, qui maxima geſſit in oris*
Sarmaticis, multaque viam ſibi ad æthera fecit
Virtute, & Superûm in terris dignatur honore.
Tu mihi res, Hyacinthe, tuas, & fortia facta
Commemora, quæ te pietas ad ſidera cæli
Extulerit; tantæne viris mortalibus inſint
Virtutes: præſenſque meo ſuccurre labori.
Te voco: tu votis nunc primùm aſſueſce vocari,
Nam iubet & Clemens tibi verba precantia dici.
Vrbs populis grauida, Arctoo fundata ſub Orbe,
Frigidus obliquis quà Viſtula flexibus errat,
Et belli, & pacis ſtudijs clariſſima floret:
Magnanimûm ſemper genitrix fœcunda virorum.
Cracouiam veteres olim dixêre coloni.

Hanc iuxta in pago Camieno Hyacinthus in auras
Exijt, antiquo deducta à ſanguine proles.
Immenſas ſed opes, titulos, & ſtemmata gentis
Vnius pietas patrui vincebat Iuonis.
Integer hic vitæ ſtudio memorabile nomen
Quæſierat, moreſque probos coniunxerat aptè
Artibus ingenuis, & patria templa regebat
Prouidus Antiſtes, quo non præſtantior alter
Diuini in vulgus puriſſima ſemina verbi
Spargere, & in caulis pecudes bona gramina paſtas
Tutari, longeque lupos arcere rapaces.
Inter & has curas Præſul non immemor vnquàm
Fraternæ ſobolis, puerum leuioribus annis
Erudit in varias artes, adhibetque magiſtros,
Qui docilem forment animum: bibit impiger artes
Monſtratas, & iam ſeniori iunior ille
Succreſcit, patruum poſthac in nomen iturus.
Ille manu aſſidua diuina volumina verſat,
Ille Patrum libros, necnon Reſcripta ſupremûm
Pontificum euoluit: ſolituſque æquare laborem
Noctibus, haud ideò penſum accurare diurnum
Deſinit, addictuſque Deo, templique miniſter
Alternas cantare preces, & ſacra parare.
Miratur iuuenem patruus, miratur acumen
Ingenij, & natam agnoſcens ad grandia mentem,
Priuatam haud illum patitur traducere vitam,
Sed vocat in partem officij: ſubit ille laborem
Impoſitum, & prudens grauiora negotia tractat.
Ecce autem Antiſtes voti reus ad loca adire
Longinqua, & Petri cineres inuiſere ſupplex,
Romanique Patris ſacris ferre oſcula plantis
Cogitat, & comitem agnatum ſibi iungere quærit,

Qui ſibi non virtute minùs, quàm ſanguine iunctus.
Vtque iter auſpicio felici, & numine dextro
Inſtituat, Chriſti ſe ſubijcit antè miniſtro,
Pronus & arcano contracta piacula ſoluit
Affatu, meritoſque aris imponit honores,
Et ſupplex æterna Dei conuiuia libat,
Ac trepidus pateram diuini ſanguinis haurit.
Mens tantis ſaturata epulis, tanto ebria potu
Exultat, viſuſque ſibi complerier omnis
Inſolito ſplendore locus, formoſaque virgo,
Egregius caſto cui pendet ab vbere natus,
Quam circùm aligerûm volitat denſiſſima turba,
Cui gemmis inſigne premit diadema capillos,
Aurea quæ niueis conculcat ſidera plantis,
Viſa ſibi blandas vltrò ſic reddere voces.
Ibis, ô Antiſtes, quò te tua dirigit ardens
Relligio, cernes Vrbem, ſummique verendos
Pontificis vultus, & te luſtraſſe iuuabit
Herois monumenta Petri: comes ibit & illùc
Cara tui ſoboles fratris, mea maxima cura.
Ipſa præibo viam ignaris, aderitque vocatus
Vſque meus toti puer iſte ſalutifer Orbi:
Et comitem manet agnatum ſors proſpera Romæ.
Obſtupuit Præſul viſis, ac voce parentis
Virginis, & gelidus totos pauor occupat artus.
Vt primùm exceſſit tremor, & remeauit in ima
Priſtinus oſſa calor, ſuſtollit lumina ſupplex
Ad Diuam, atque humili tandem ſic voce precatur.
O quàm te memorem cæli pulcherrima virgo!
Namque ſibi matrem vaſti te conditor Orbis
Elegit, regnique libens in parte locauit.
Sit tibi honos, monſtraque vias, & dirige greſſus:

Ac comitem tandem dic (non incognita poſco)
Quæ conſanguineum Romæ ſors tanta ſequetur.
Multa tibi ad templi poſtes affixa tabella:
Multaque ponentur noſtrâ donaria dextrâ.
Talibus Antiſtes caſtiſsima numina dictis
Orabat: tum ſic prædixit regia virgo.
Vir magnus pietate, mihi cariſsimus vnus,
Quo quiſquam integriùs noſtrum non numen adorat,
Nunc in Romulea verſatur Domnicus Vrbe.
Ille opibus vanis temptis, ſpretaque quiete
Pauperiem anguſtam patitur, duroſque labores
Ille Dei ad populos perfert mandata fideles,
Hæreticûm nexas doctus diſcingere fraudes.
Quinetiam ruptis naturæ legibus ille
Plurima mira facit, puros teſtantia mores.
Ipſe aderis, fixuſque obtutu hærebis in vno,
Cùm iuuenem extinctum multorum adſtante corona
Reſtituet vitæ, atque ſuis luxata reponet
Membra locis; tantique viri inflammatus amore
Orabis, quoſdam è ſocijs vt mittat in oras
Sarmaticas: tunc ille aliquos è gente Polona
Ad ſeſe pius alliciet, numeroque ſuorum
Adſcribet, patriæ fortiſsima pectora quondam,
Deuota, & proprios illuſtratura Penates.
Ille tuus leni diuini numinis aura
Afflatus, moreſque viri, & ſine crimine vitam
Suſpiciens Hyacinthus ei ſeſe offeret vltrò,
Ordinis & ſacro velabit corpus amictu.
Atque vbi ſol metas confecerit arduus omnes,
Sacra coronatæ quà ſurgunt templa Sabinæ
Monte in Auentino emittet ſolennia vota.
O quanta ille alijs tunc eſt exempla daturus!

Nocturnas templi excubias, ieiunia longa,
Confectos macie vultus, carnemque ferocem
Sæpiùs edomitam non vno verbere cerno.
Aut ille Hebræi recinet pia carmina vatis.
Cuius ego quondam genus alto à ſanguine duxi,
Aut crucis & paſſi Chriſti myſteria ſecum
Corde volutabit lacrymis perfuſus obortis:
Aut prece ſolicitans ſuperos operabitur aris,
Aut ſeruum vitijs populum meliora monebit,
Præfectûm ſemper dictis audire paratus.
Miſſus & in patriam ſolido de marmore paſſim
Templa auguſta Deo ponet, ſocijſque receptis
Implebit, populoque viam monſtrabit ad alta
Sidera, diuinæ ſoluens ænigmata legis.
Impiger Eoas illinc properabit ad oras,
Quaſque nouus primùm radijs ſol luſtrat obortis,
Ipſe ſuo latè complebit lumine partes.
Illi ego ſuccurram facilis, me quandò vocabit
Sæpiùs, & noſtrum reuerenter numen habebit.
Ille dies mihi ſolennes vocalibus hymnis,
Et longis perget precibus celebrare quotannis.
Atque è ſuggeſto coram mea facta tonabit,
Perque meas ibit laudes: mirabitur illum
Plebs tacita, atque alto pendens dicentis ab ore.
Quin præcedenti ſemper ieiunia luce
Obſeruans, modico ſtomachum vix pane latrantem
Leniet, arentemque ſitim deponet in vnda,
Et nunquàm appoſita curabit corpora carne.
Illi ego, cùm ſupplex, genibuſque volutus ad aras
Orabit, feſtamque diem ſub pectore voluet,
Qua cælum intraui exultans, diueſque triumphis,
Et concepta pio monſtrabit gaudia fletu,

Improuiſa adero, ſolioque innixa ſuperbo,
Et radijs, auroque ardens ſolabor amicis
Vocibus, & ſua promittam non irrita vota,
Sed fore, vt in terris Superos quodcunque rogarit,
Auferat extemplò, & meliùs ſperare iubebo.
Auertenſque meo diuinum corpore odorem
Spirabo, & dulci mulcebunt æthera cantu
Aligeri iuuenes: cupidis bibet auribus ille
Cæleſtes numeros, captus dulcedine ſenſum.
Chriſti amor hinc ingens, hinc cæli immenſa cupido
Compos erit voti; nam cùm poſt fortia facta,
Poſt varios caſus, & poſt miracula multa
Sedibus in patrijs felici morte quierit,
Omnipotens illi cæli Deus annuet arcem.
Quos tibi nunc prodam, tacito ſub pectore conde
Arcanos rerum euentus: committere cuiquam
Ipſe caue. Veniet ſeclis labentibus ætas,
Romulidûm cùm ſceptra tenens, pecoriſque magiſter
Diuini, Picena feret ſub luminis auras
Quem regio: cui vis animi, cui maſcula corda,
Seu velit hoſtiles armis contundere turmas
Prædonum, & placida populos in pace tueri:
Siue ſui decus imperij, ſupremaque Sedis
Iura ſuæ proceres contrà retinere profanos;
Poſt communitam frumenti copia, & auri,
Poſtque vijs, templis, obeliſcis, fontibus Vrbem
Ornatam, ſuperis Hyacinthum adſcribere Diuûm
Ordinibus, meritoſque volet decernere honores.
Hanc illi curam auertet collapſa ruinis
Gallia, & ancipiti concuſſa Polonia motu,
Regia concurrent dum multi ad ſceptra potentes,
Illius imperio ad proceres vir maximus ibit

Sauro-

Sauromatas Etruſca olim de ſtirpe creandus
Hyppolitus, ſacri decus immortale Senatus.
Hic autem pace allata, rebuſque Polonis
Compoſitis, quæcunque illis Hyacinthus in oris
Geſſerit, & ſeriem vitæ, mirandaque ſigna
Audiet, Auſoniæque redux teſtabitur Vrbi.
Pontificem quinimò breui pòſt tempore Patres
Optabunt, vacuaque inuitum in ſede locabunt.
Ille tuum adſcribet ſolenni ritu Hyacinthum
Cælicolûm numero, & magnos indicet honores.
Sic prædicebat patruo ſanctiſsima vates
Arcanas comitis ſortes, caſuſque futuros.
Conticuit tandem: nec vana effata fuêre.
Nam ſeclis ter quina tribus poſtquàm addita luſtra,
Inclyta Romulidûm Picens ad ſceptra vocatur
Sixtus, & indictis moderatur legibus Orbem.
Nec ſatis eſt illi pacatæ fræna tenere
Auſoniæ, longinqua animo per regna vagatur,
Ardet & æternam externis immittere pacem
Sedibus, & finem longis impònere bellis.
Sarmaticas ideò Legatum mittit in oras
Aldobrandina nomen de gente, genusque
Ducentem Hyppolitum, ſua quem clariſsima virtus,
Et pietas mira, & gemini prudentia Iuris
Purpureo dignum decorarat nuper honore.
Carpit iter iuſſum Hyppolitus, fiduſque miniſter
Sarmatici tractat commiſſa negotia regni.
Et iam concordi diuiſos pace ligârat
Ille animos, bellique quies erat omnibus vna,
Cùm diſceſſurum nouus ad conuiuia Princeps
Legatum accerſit: regali ſplendida cæna
Inſtruitur luxu, menſis apponitur ingens

Argentum, appenſis ſplendent laquearia lychnis
Aurea, & obſcuram pellunt funalia noctem,
Centum adſtant ætate pares, & veſte miniſtri,
Cura quibus pompa ſolenni, atque ordine longo
Inſtaurare epulas, & vina reponere menſis.
Poſtquàm exempta fames dapibus, grateſque relatæ
Chriſto, nocturnas grauibus ſermonibus horas
Hyppolitus cum Rege trahit, rogitatque Polono
Multa ſuper regno, ſuper ipſo multa Hyacintho.
Nunc quæ templa Deo, ſocijs quæ tecta locarit,
Nunc qualis ſuprema dies, nunc funera quanta.
Imò age, & immenſos (inquit) ne, quæſo, graueris,
Inclyte Rex, tanti Herois narrare labores,
Et ſeriem vitæ, quæque ille nouiſſima dixit.
Pontifici mens ſæpe fuit cæleſtibus illum
Inſerere ordinibus: ſanctum quod in Vrbe tribunal
Me multis olim præfectum exercuit annis,
Lite hac perſonuit: quæ nunc narraueris ipſe,
Me quondam reducem Auſonijs memorare iuuabit.
Dixit, & intenti tenuêre ſilentia cuncti,
Sic inde aurata Princeps à ſede locutus.
Cuncta equidem, venerande Pater, nunc ordine pandam,
Quæ tibi non audire minor fortaſſe voluptas,
Quàm fuerit narrare mihi: cæleſtia faxint
Numina, vt in terris quem tot voluêre ſupremi
Pontifices, ſuperos inter numerare Quirites,
Romuleæ euectus quondam ad faſtigia Sedis
Tu numeres, regnique mei pia vota ſecundes.
Domnicus auguſti clariſſimus Ordinis auctor,
Cùm ſacro ſocium Romæ velaſſet amictu,
Et vitæ diuina nouæ præcepta dediſſet,
Sarmaticas illum ſubitò legauit in oras,

Ceſlaum adiungens iam patria, & Ordine iunctum,
Nec non Hermanum Germanis finibus ortum.
Ille vias iniјt iuſſas, perque oppida multa
Præteriens, populis diuinæ ænigmata legis
Altiùs expediјt, morumque exempla reliquit.
Haud ſecus, immenſi cultor quam ruſticus horti
Viminea dum crate roſas comportat in Vrbem,
Quacunque incedit, iucundum ſpirat odorem:
Ille abit vlteriùs, remanet ſed tempore longo
Sparſus odor. Tandemque Hyacinthus littora Rheni
Tangit, & antiqua ſubſiſtit in Vrbe Viruno.
Illìc cænobiј inſignis fundamina ponit,
Militiæ quandò plures dare nomina ſacræ
Inſtituunt; priùs ille locum ſibi deligit aptum,
Hæc clauſtra, has cellas, hæc eſſe altaria mandat,
Diuerſa & ſocijs præſcribit iura receptis;
Præficit Hermanumque illis, patriæque relinquit,
Cæptum iter hinc peragit greſſu comitatus amici
Ceſlai, patrijſque datur ſuccedere tectis.
Diditur at totam prænuncia fama per vrbem,
Ipſum mutatis Hyacinthum veſtibus, atque
Ordine mutato vitæ remeare Quirini
Ex Vrbe, & patrijs non longè à mœnibus eſſe.
Obuius it ſacrorum hominum lectiſſimus ordo,
Occurrunt vrbis proceres, & læta iuuentus
Vndique circunfuſa ruit: puerique ſeneſque
Certatim reducis gaudent contingere veſtem.
Cœnobium hìc etiam ſolido de marmore ponit.
Ardentes inſtant populi: pars aggere muros
Moliri, manibuſque ingentia voluere ſaxa:
Pars aptare trabes, atque aſpera tigna polire.
Hìc aliј ſtatuunt aras, hìc rupe columnas

Excidunt alij templo ornamenta futuro.
Tantoſque à multis collata pecunia in vſus
Suppetit: & plures exemplo denique motos,
Iamque nouæ vitæ cupidos Hyacinthus amicè
Excipit, atque omnes præceptis format ad vnum.
Nec ſolùm hunc patriæ tangit dulciſſima cura:
Sancta agit ambitio ſtimulis: concludier arctis
Neſcia Sarmatiæ terris perrumpit in oram,
Decliuis mediam quam præterlabitur Albis.
Haud ſecùs, anguſto quàm neſcit flamma camino
Includi: furit illa magis violenter ad auras,
Illuſtratque ſuo longinquas lumine partes.
Hinc autem ad populos illo mandante Boëmos
Pergit Ceſlaus, comes eſt Hieronymus illi.
Deueniunt Bubiemum ambo, gratoque recepti
Hoſpitio cellas, & templa immania ponunt:
Diuinamque docent legem, & clamore minanti
Crimina corripiunt grauiter: populique frequentes
Certatim accurrunt, melioriq́ mente recedunt.
Hìc tandem placida Ceſlaus morte quieſcit
Prodigijs clarus, ſed vita illuſtrior ipſa.
Ah! quantùm audito iucundi funere amici
Ingemit, & quantis Hyacinthus proluit ora
Fletibus, infixum geſtans in corde dolorem?
Sed minuit luctum æternæ ſpes magna ſalutis.
Imò multa mouens animo lætatur amicum
Caſibus ereptum varijs, cæloque receptum.
Atque in quas animus fuerat tranſmittere viuum,
Ipſe illo extincto ad partes contendit Eoas.
Illi Floranus, Benedictus, & ipſe Godinus
Incedunt comites parili ſimul Ordine iuncti.
Iamque propinquabant vrbi, quæ nomina traxit

A Felice Lacu, niuibus cùm forte ſolutis
Turgidus, & ſolitas tranſcendens Viſtula ripas
Inſanos voluit vaſto cum murmure fluctus.
Cernitur in toto non vllus littore nauta,
Nec rapido apparent abſorptæ vortice cymbæ.
Conſiſtunt ſocij attoniti, & ſe fluminis alti
Diffidunt poſſe vlterius contingere littus:
Ipſe animos Hyacinthus habet, mage turbida & ipſis
Fluminibus tali confirmat pectora voce.
O ſocij, quibus ipſa Dei manifeſta poteſtas,
Quid vos turgentes irati fluminis vndæ
Deterrent, cæptaque via deſiſtere cogunt?
Audiſtis fluuios numen cæleſte creaſſe:
Audiſtis Dominum per fluctus iſſe recentes.
Ille eſt, qui rubeas Erythræi gurgitis vndas
Diſiungens profugo Hebræo freta peruia fecit.
Ille retrò ad fontem Iordanis rettulit amnem,
Ille olim ſiccis calcauit flumina plantis:
Nec potis abſque vlla nos tranſportare carina?
Cuncta poteſt: reuocate animos, ſecludite curas,
Et mecum auxilium multis expoſcite votis.
His dictis procumbit humi, cæloque ſupinas
Suſtollens palmas diuinum numen adorat.
Dehinc ſurgit, ſanctæque Crucis victricia ſigna
Amni impertitus, ſocijs perſæpe vocatis,
Torrentis tumidas ſicco pede proterit vndas.
Attoniti renuunt illi ſe credere tantis
Fluctibus, & retrò referunt veſtigia cuncti,
Haud aliter, quàm cùm multa de nocte viator
Incidit in rabidos per deuia luſtra leones,
Terga dat horreſcens, nec cominùs audet adire.
Palliolo tunc explicito ſuper æquora tanta

Accerſit rurſùs comites Hyacinthus, & illos
Trans fluuium vehit intrepidos noua pannea puppis.
Nauigium inſolitum ſpectans ſtupet accola vaſti
Fluminis, externoſque intrà ſua tecta receptos
Et fouet, & magno retinet complexus amore.
Diuerſos illi populos, diuerſaque luſtrant
Oppida, & admonitis complent cæleſtibus aures:
Nec proſunt exempla minùs quàm copia fandi.
Exſtructum Mariæ dicunt de nomine templum,
Cœnobio excipiunt complures: verùm vbi quinta
Acceſſit demùm tranſactis quattuor æſtas,
Ad patriam reditus quærunt, ſoluſque Godinus
Eois remanet clauſtro præfectus in oris.
Nec vanis rediens vſquam terit otia rebus,
Plura ſed accedens Hyacinthus in oppida ſemper.
Perſuadet populis cæleſtem ducere vitam
In terris, templumque antiqua fundat in vrbe,
Cuius agit curam remanens Benedictus: at ille
Ad patriam tendit ſolo comitante ſodali
Florano, ſaluuſque iſtam ſuccedit in vrbem.
Atque ille hic demùm poſt tot, tantoſque labores
Præmia ſuſpirans cæli, cupienſque reſolui
Corporeis vinclis, & Chriſto annectier vni,
Lecto decubuit febri correptus acuta.
Et iam confectus morbo, tumuloque propinquus
Adſtantes ſocios curis ingentibus ægros,
Ex oculis lacrymas, gemitus à corde cientes
Leniјt, extremis adhibens ſolatia dictis.
O ſociј, datur optatam contingere metam,
Et requie æterna humanum mutare laborem.
Vixi, & iam curſum Chriſto adiutore peregi,
Nunc fidei plenus cæleſtem expecto coronam.

Caſta Dei genitrix, veneror quam pectore toto
Adfuit in ſomnis, & poſtquàm fulſerit hora
Craſtina, me cæli ſubiturum limina dixit.
Cras reditura dies, qua præſtantiſſima virgo
Aligerûm magna iuuenum ſtipante caterua
Ad cælos euecta fuit: me tempore tali
Vult Deus indignum ſimili decorare triumpho.
Vos ergo gemitus cohibete, & ſiſtite fletus.
Accipite extrema hæc veſtri præcepta magiſtri
Auribus attentis, memorique recondite mente:
Viuite concordes, non vnquàm in vota, preceſque
Ceſſate, & caſtum ſemper retinete pudorem:
Pauperiem colite, & vanos contemnite faſtus:
Vos memores eſtote mei, longumque valete.
His dictis tremulam dextram, macieque pereſam
E lecto exſeruit, Cruce conſignauit, & omnes,
Et patrios dedit amplexus, atque oſcula iunxit.
Poſtque preces multas, & ſumpta viatica vitæ
Æternæ, in cælum iam caligantia tollens
Lumina, & Iſacidæ recitans pia carmina Regis,
Paulatim tenues animam expirauit in auras.
Tunc manus aligerûm cælo delapſa recentem,
Felicemque illam ſecum ad cæleſtia regna
Deduxit, varijs ſonuerunt cantibus aſtra.
Forſan & extincti fuerint quæ funera, quæres.
Rumor vbi vaſtæ per compita diditus vrbis
Vitali ſpoliatum Hyacinthi lumine corpus,
Totæ fœmineis vlularunt planctibus ædes,
Et gemitu tectum omne ſenes, iuueneſque replerunt:
Haud ſecùs, ac ſaltus rapta nutrice profundos
Lactentes teneris implent balatibus agni.
Hic patrem extinctum, raptum ille dolebat amicum,

Et varijs omnes cumulabant laudibus vnum.
Intereà noſtræ Antiſtes digniſſimus vrbis
Prandota indutus lugubrem corpore veſtem,
Et bifida cinctus canentia tempora mitra
Exanimum decorat ſupremo munere corpus.
Solenni proceres deducunt funera pompa:
Plebs confuſa ruit, veniunt ad ſidera queſtus.
Accipe nunc duplex, dictu mirabile, viſum.
Iniectâ poſtquàm tumulauit corpora terrâ,
Ecce precaturus ſacram ſecedit ad aram
Antiſtes, leuiorque quies ſubrepit in artus,
Lætaque demulcent afflictam inſomnia mentem.
Scilicet ingentis longo ordine ad intima templi
Egregij iuuenes veniunt in veſtibus albis.
Bini homines ætate graues, meritiſque ſequuntur:
Vnus Pontificis ſacro inſignitus amictu,
Relligioſa alter contectus corpora veſte:
Clarus & amborum ſummo de vertice lumen
Fundit apex: tegit auratum diadema capillos.
Quique erat à dextra, placido ſic ore locutus.
Ne Prandota paue: ſum Staniſlaus, eodem
Munere qui fungens hæc olim templa regebam.
Quique mihi à læua eſt, Hyacinthum agnoſce beatum;
Reſpice vt ex fuluo præter diadema metallo
Incedat geminis redimitus tempora ſertis?
Vnum virgineî vitam ſine labe pudoris
Denotat exactam: excellens doctrina pateſcit
Indicio alterius. Iuuenes, quos cernis in albis
Veſtibus, æthereа, ſunt, qui verſentur in aula,
Et Regi celeres adſtant ad iuſſa miniſtri.
Nunc tali comitatu Hyacinthum ad ſidera duco.
Tunc caua cæleſti cæperunt templa ſonare

Con-

Concentu, viſique omnes ſe tollere in altum,
Et celebri pompa ad ſedes remeare beatas.
Prandota excutitur ſomno, populoque frequenti
Iucundos retegit viſus, ſtupet inſcia turba.
Quin etiam (mirùm) eiuſdem ſub funeris horam
Virgo quater denos quæ deſeruire per annos
Vni aſſueta Deo, ſeptiſque incluſa ſacrati
Cænobij expertem thalami ſine crimine vitam
Degebat, cùm corde preces effunderet imo,
Poplite ſubmiſſo, & tenſis ad ſidera palmis
Succubuit, clauſitque graui deuicta ſopore
Lumina: & in templum, tantus quo conditur Heros,
Lux ingens tunc viſa ſibi deſcendere cælis,
Rurſùs & in cælos ex ipſo aſcendere templo.
Ætherij iuuenes dulciſſima carmina viſi
Cantare, & ſummi genitrix ſanctiſſima Regis
Splendentem ad ſuperas Hyacinthum ducere ſedes.
Somnus abit, viſumque effata ſororibus ipſa
Mœrentum abſtergit lacrymas: it fama per vrbem.
Expectas vt multa viri miracula narrem,
Sed citiùs veris flores, æſtatis ariſtas,
Autumni fructus, hyemis pluuiaſque, niueſque
Dinumerem: ſuadetque altos nox plurima ſomnos.
Cras tamen antiqui primo ſub limine templi
Artifici depicta manu miracula cernes.
Dixerat, & ſtratis omnes ſua membra reponunt.

O

GVILIELMI DV BLANC,

EPISCOPI GRASSENSIS ET VENCIENSIS,

HYACINTHI

Liber Poſterior.

POSTERA nocturnos ignes Aurora fugârat,
Summaque vix primo luſtrabat lumine Titan
Culmina, cùm ſupplex templo ſuccedit, & aras
Hyppolitus de more tenet, ſummoque Parenti
Pro populis offert Geniti venerabile corpus.
Effuſis longis precibus, ſacriſque peractis
Veſtibulum ante ipſum xyſto ſpatiatur in amplo,
Et grata cupidos pictura paſcit ocellos.
Hinc exſtant, viuens fecit quæ mira Hyacinthus:
Parte alia, mortem illius quæcunque ſecuta.
Hyppolituſque oculis dum ſingula perlegit, illum
Expreſſa innumeris docet argumenta figuris
Æditaus, digito res omnes indice monſtrans.
Ille (vides?) inquit, iuuenis, qui traijcit acri

Flumen equo, medijs iacet vt reuolutus in vndis?
Spectantes equitis caſum miſerantur iniquum.
Ipſa ſuum pignus genitrix orbata requirit
Faliſlaua implens crebris vlulatibus auras.
Proxima maternas reſpondent antra querelas:
Et Petrum, Petrum reſonant caua littora circùm.
Reſpice vt exanimum, atque eiectum littore mater
Ambiat amplexu, & madidæ ferat oſcula fronti.
Deciduas miſcens lacrymas fluuialibus vndis?
Iamque Hyacinthus adeſt: ſupplex iacet illius ante
Ipſa pedes, viuumque ſibi gemebunda precatur
Reſtitui natum: caſu is concuſſus acerbo
Dat vitam iuueni extincto, miſereſcit & orbæ
Matris: at aſpectu populus conterritus hæret.
Illa autem mulier, quæ neruis ægra ſolutis
Lecto affixa manet, corpuſque imbelle mouere
Neſcit, & adſtrictæ nodos diſſoluere linguæ,
Nequicquàm medicas artes experta, manusq.
A nato ad ſanctum tandem delata Hyacinthum
Linguæ vſum recipit, deſperatamque ſalutem.
Altera quæ lecto mulier moribunda recumbit,
A medicis deſerta ſuis, acciti Hyacinthi
Tacta manu ſanos è ſtratis corripit artus.
Adſpicis vt crepitans toto ſalit æthere grando?
Verberat vt ſegetes, faciemque immutat agrorum?
Vt meſſis diſiecta iacet? triſtique colono
Inſtat dira fames? Clementia fœmina claris
Orta atauis, culpas Hyacintho aperire latentes
Sæpiùs aſſueta, & veniam pudibunda precari,
Illum adit, & plangunt populi ſua damna ſequentes.
Ille iubet cunctos inſomnem ducere noctem
In templo, precibuſque vnà ſolennibus inſtant.

Vixque dies oculis fulgebat craſtina, portus
Egreſsi intactas ſegetes cùm ſurgere cernunt:
Et nuſquàm effuſæ veſtigia grandinis exſtant.
Miratur grauidis campos flaueſcere ariſtis
Agricola, immenſas & condit in horrea meſſes
Impauidus famis, atque illum ſecurus in annum
En hîc bis denos Felicia nupta per annos,
Nequicquàm lecto toties ſociata iugali,
Conqueritur nulla fieri ſe prole parentem,
Infenſi metuit dum iurgia crebra mariti.
Verùm illi à cæleſti Hyacinthus numine prolem
Impetrat, & rerum dominos, mitraque bicorni
Inſignes tali prædicit ſtirpe nepotes.
Illa autem partus genitrix enixa gemellos,
Manca quibus viſum penitùs natura negauit,
Vt dolet? vt gaudet? lætis vt triſtia miſcet?
Eductos gaudet fœtus, dolet anxia cæcos
Eductos: & dum ſacras Hyacinthus ad ædes
Pergit diuini ſparſurus ſemina verbi;
Hæc geminos offert pendentes vbere natos,
Innatam ille fugat noctem, cæciſque videre
Donat purpurei gratiſsima lumina Solis.
Hûc geminas conuerte acies, viduamque parentem
Adſpice, quæ rapido ſubmerſum flumine natum
Quærit, & aſsiduo demùm defeſſa labore
Veſtibus in pullis Hyacintho ſupplicat, illum
Vt ſibi reſtituat viuum, vel flumine ſaltem
Inueniat, tumulo quod contegat ipſa, cadauer.
Ille orbam matrem miſerans, ex amne profundo
Imperat emerſum ripis adnare cadauer,
Et vitæ primùm, viduæque exinde parenti
Reſtituit natum: tunc verſi in gaudia luctus.

Nec minùs ipſa ſuum lætata reſurgere pignus,
Quàm doluit periiſſe prius: fama illa vagatur.
Talibus Hippolytus paſcens ſub lumine templi
Picturiſque ſuos oculos, & vocibus aures,
Attonitis hærens animis ſub pectore verſat
Herois monſtrata ſibi tot ſplendida facta.
Illum interpellans tandem, vertenſque ſiniſtram
Ad partem Æditiuus, nunc plurima reſpice, dixit,
Mortuus in terris quæ iam miracula fecit.
Ac primùm ille (vides?) eques vt Zegota Polonus
Sanguine materno, patrio generoſus & ortu,
Dum frænis alacer ſpatioſa per arua ferocem
Tractat equum, crebriſque fodit calcaribus armos,
Spumantemq. illum nunc hùc, nunc flectit & illùc.
Atque agit in gyros, iacet hic (miſerabile viſu)
Suffoſſo decuſſus equo: terit vngula corpus
Ferrea proſtratum, telluſque cruore rubeſcit.
Attoniti accurrunt magna comitante caterua
Nobilium, natumque dolent cecidiſſe parentes.
Ad tumulum mandant Hyacinthi efferrier inde
Exanimum corpus: dum ducitur hora precando,
Ecce reuiuiſcit natus, graditurque reſurgens,
Et lætos nota compellat voce parentes,
Inde ſuas tali comitatu pergit ad ædes.
Adſpice Ioannem primæuo flore iuuentæ
Ingenti oppreſſum morbo: nec corpore toto
Vlla vnquàm apparent venturæ ſigna ſalutis;
Caligant oculi ex morbo, occluduntur & aures:
Membra rigent, torpentque manus, & inutilis hæret
Lingua, nec aſſuetas potis eſt expromere voces.
Pro nato faciunt Hyacintho vota parentes,
Illius & ſpondent tumulo donaria ſacro.

Accipit optatam ſubitò puer ille ſalutem,
Ampliùs & morbi non extant ſigna prioris.
Igne micant oculi, patefiunt vocibus aures,
Priſtina vis membris redit, & facundia linguæ.
Redduntur vota, & tumulo ſuſpenſa tabella
Ingens prodigium picturâ, & carmine ſignat.
Sdiſlao Comiti iuncta hæc matrona recumbit,
Et coram moritura videt cacodæmonas atros:
Poſtquàm autem ſupplex Hyacinthum in vota vocauit,
Aduenit alma ſalus, & ſpectra inimica recedunt.
Altera, longinquis properat quæ fœmina ab oris,
Spiritibuſque obſeſſa malis inſanit, & altum
Iactat vtroque caput, plenis ſpumatque labellis,
Vix tumulum ſacratum Hyacinthi conſpicit, imas
Cùm ſubitò Dæmon Erebi deſcendit ad vmbras.
Vtroque hæc autem clariſsima Martha parente,
Articulos cui contundit nodoſa chiragra,
Atque ægræ dudùm manui dolor ardet acerbus,
Ecce ſalutare ad Sancti deducta ſepulcrum
Illicò ſuſtollit ſanas ad ſidera palmas.
Cæcilia hîc vera tedas exoſa iugales,
Cœnobioque ſacro triginta incluſa per annos,
Dum dolet amiſsi lugens incommoda viſus,
Inuocat & multis Hyacinthi numina votis,
En oculos aperit cæca caligine pulſa.
Margaris auditu, & caro priuata marito,
Dum iacet in ſacro caput inclinata ſepulcro,
Vel minimas voces reſeratis auribus haurit.
Cracouiæ ciuem cernis, cui vulnere acerbo
Confoſſum caput apparet, læſumque cerebrum,
Nec iam infelici ſupereſt ſpes vlla ſalutis?
Protinùs hunc virtus Hyacinthi maxima ſanat.

Jlle autem addictus ſacris, ortuque paterno
Nobilis, auguſtum dum procidit ante ſepulcrum,
Et pia felici fert ſæpiùs oſcula ſaxo,
Naribus vt patulis admirans captat, ab ipſo
Qui tumulo latè diuini afflantur odores?
Adſpicis hunc puerum, febris quem torret anhela,
Qui tenues iam iamque animam diſpergit in auras?
Dum votum genitrix Hyacintho nuncupat, ægro
Ille vocatus adeſt, & morbum corpore pellit.
En mulier, cuius dolor inteſtina perurit,
Quamque dies multos crudelia tormina vexant
Omninò expertem ſomni, potuſque cibique
Confugit ad Sanctum, recipitque precata ſalutem.
Dobroſlaua genus præclaro à ſanguine ducens,
Quæ iacet in lecto diuerſis languida morbis,
Maternis votis, Hyacinthi & numine amico
Confeſtim inuiſo ſurgit ſanata grabato.
Ecce manus mulier binos ignara ſiniſtræ
Ipſa ſibi digitos gladio præcidit acuto.
Ad tumulum hos defert Hyacinthi: protinùs illic
Natiuum ambo locum repetunt, palmæque cohærent.
Huc geminos nunc flecte oculos, hunc cerne labantem,
Poplite ſuffracto qui claudicat, vlla nec illi
Dextera chirurgi quicquam, aut medicamina proſunt.
Supplicibus votis Hyacinthi numina poſcit,
Et rectis graditur pedibus, neque crura tremiſcunt.
Margarin hanc cernis, quæ ſemina mortua reddit?
Et tumulo cunæ, lacrymis & gaudia cedunt.
Illam etiam mortis circunſtant dura pericla.
Nuncupat at ſupplex Hyacintho vota maritus,
Et proles extincta priùs, quàm nata reſurgit,
Et fouet hanc magno genitrix erepta periclo.

Sed quia tantarum ſeries longiſſima rerum
Facta vetat paucis percurrere plurima verbis,
Cerne virûm denſos humeros, ora adſpice ſumma.
Redditur huic viſus, geminæ huic reſerantur & aures.
Redditur huic ſolitæ vocis deperditus vſus:
Huic abſciſſa manus, dentes huic ore reuulſi.
Gallicus hinc Italis exortus morbus in oris
Linquit: & huic podagra, huic febris remouetur acuta.
Omnibus vna ſalus ægris, medicamen & vnum.
Effugit hic iam iam in media qui morte tenetur.
Conditus hic tumulo ſuperas euadit ad auras.
Iudice ſub duro tenebroſo hic carcere clauſus
Vxorem, & natos detecta fraude reuiſit.
Fluctibus ereptus mediis hic littora tangit.
Inq. dies noua ſuccedunt miracula priſcis.
Sic pius Æditus defuncti picta Hyacinthi
Facta recenſebat, digitis & cuncta notabat.
Conticuit tandem, & finem dedit ore loquendi.
At Pater Hyppolitus iamdudùm fixus in vno
Obtutu auditos premit alto pectore caſus,
Atque animo virtus Hyacinthi multa recurſat.
Iamque redux Latiæ muris ſucceſſerat Vrbis.
Romanoque Patri tranſacta negotia regni
Sarmatici, & certo compoſtum fœdere bellum
Dixerat, Herois cùm facta audita recenſet,
Et vitam, & mores, & quæ miracula fecit.
Dicta animo figit Sixtus, magnumque Hyacinthum
Suſpicit, & lætis ardet numerare piorum
Ordinibus, meritoſque illi decernere honores:
Haud ſecùs, ac nuper miracula multa patrantem
Hiſpanum Didacum Cæleſtes rettulit inter.
Verùm aliæ prohibent curæ, dum Gallia præceps

Fertur,

Fertur, & infelix ciuilibus æſtuat armis.
Quinetiam multa adgreſſum, ſed plura parentem
Hei mihi! Pontificem mors funere mergit acerbo.
Sixtus obit! Sixtuſque ſui ſpes maxima Blanci!
Ducite perpetuos, mea lumina, ducite riuos,
Lumina nec poſthâc, ſed vos mea flumina dicam.
Ergone ſolus obis? & me, Pater optime, mœſtum
Deſeris? vna ambos cur non ſimul eripit hora?
Saltem ſi qua mihi reſtaret gratia tanti
Poſt obitum obſequij, ſi me promiſſa manerent
Præmia, non hodie prorſus deſertus haberer.
Sed valeant & opes, & honorum cæca cupido,
Dum modò te teneam, & memori ſub pectore ſeruem.
Alter opes habeat, potiatur honoribus alter,
Dum mea venturis, quæ tu laudare ſolebas,
Carmina ſyncerum ſeclis teſtentur amorem.
Vrbanus Sixti ſummo ſucceſsit honori:
Verùm, ſtelliferi curſus qui flectit Olympi,
Pontificem hunc tantùm oſtendit tibi Roma, neque vltra
Eſſe dedit, nimiùm Romana Eccleſia felix,
Si vitam in terris duxiſſet longiùs ille.
Sed neque, quem vacua Patres in Sede locarunt,
Vnum Gregorius vitam produxit in annum.
Quin ſucceſſorem Fachinetum nomine, & omni
Innocuum vita voluentem plurima ſecum
Mors inopina rapit: vix tanti ſideris ortu
Lætamur, luctum occaſus cùm protinùs affert.
Verùm illo extincto renuens poſt vota, preceſque
Aldobrandinus Lauinia ſceptra capeſsit,
Romanoque ſedens ſolio dat iura per Orbem.
Nuncia Sarmaticas vulgatur fama per vrbes,
Lætitiaque fremunt populi: Rex ipſe ſupinas

Tendit ad aſtrà manus, meritaſque rependere grates
Supremo properat Regi pro munere tali.
Et ſibi cùm licuit per ſumma negotia Romam
Alto Oratorem deductum à ſanguine miſit.
Ille ſui ſeſe ſubmittit nomine Regis
Pontifici, & deuota ſacris fert oſcula plantis.
Debinc vrget precibus multis, vt ſanctum Hyacinthum
In terris tandem cæli dignetur honore:
Vt demùm noſtro peragat feliciter æuo,
Quod Leo, quod Clemens, quod Paulus, Sixtus, & ambo
Gregorij, Vrbanuſque olim cepêre priores:
Vt quod tres olim Reges petière Poloni,
Quodque hodie nouus expoſcit, ne deneget ipſe:
Vt varijs lis acta foris, diſcuſſaque multis
Iudicibus plures ne protendatur in annos:
Sed noua Cælicolis accedant gaudia, Romæ
Gloria, ſolamen Regi, tutelaque regno.
Rem magnam expoſci, & prorsùs cæleſtis egentem
Auxilij, atque Deum Clemens in vota vocandum
Reſpondet, ſeque inde ſuis cum Fratribus ipſum
Acturum, & quæ cuique animo ſententia ſurgat,
Intellecturum, ne quem malus auferat error.
Iamque dies indicta aderat; ſanctuſque Senatus
Cogitur, & celſa Clemens in ſede locatur
Inſignis mitrâ, & pretioſo indutus amictu.
Egregij apparent Patres, quos purpura ſacro
In capite effulgens teſtari ſanguine Chriſtum
Admonet, & vitam pro Relligione paciſci.
Hiſpanis, Italis, Galliſque è finibus adſunt
Paſtores, patriæ clariſſima lumina gentis,
Quorum aliquos dudum proprijs ab ouilibus arcet
Relligio, & ſummæ tantùm reuerentia Sedis.

Heluetij longis innixi haſtilibus extra
Adſtant, & fidi portarum limina ſeruant.
Spiritus intùs adeſt cæleſtis, & ignibus vrit
Corda Patrum tacitis, animos moturus, & ora.
Intenti egerunt poſtquàm alta ſilentia cuncti,
Ipſe Pater Clemens ſolio ſic infit ab alto.
O Fratres regni conſortes, atque laboris,
Quos æquis oculis hìc circunſpecto ſedentes,
Ardua ſunt hodie tractanda negotia nobis:
Conſilia Omnipotens, & noſtros dirigat actus.
Fert animus Diuis Hyacinthum adſcribere, & vrget
Aſsiduis precibus, regni qui iuſta Poloni
Sceptra tenet, ſuadetque viri puriſsima vita.
Ille in Sarmatia præclaro ſanguine cretus
Ingenuas artes primis tractauit ab annis.
Noſtra hunc ſuſpexit Iuris, Legumque peritum
Felſina, & hunc Fidei myſteria ſacra docentem
Mirati populi, atque exin meliora ſecuti.
Domnici at exceptus clauſtro, & terreſtria prorſus
Abijciens quodnam officium pietatis omiſit?
In prece totus erat, lacrymis ieiunia ſolis.
Paſcebat, duro lacerabat verbere terga.
Vnda ſitim, paniſque famem pellebat, & illi
Terra cubile dabat. diuino ardebat amore,
Nec dicto reliquis, aut facto defuit vnquàm.
Perpetuæ taceam quid virginitatis honores
Perpetuos, puramque in puro corpore mentem?
Quid ſileam exhauſtos pro Relligione labores,
Diuerſiſque Fidem diſperſam partibus Orbis,
Totque Deo poſitas aras, tot tecta locata
Adſcitus ſocijs? quid tot miracula narrem,
Quæ partim in vita, partim poſt funera fecit?

Reddidit extinctis vitam, mutiſque loquelam,
Auditum ſurdis, & truncis membra reciſa,
Atque videre dedit cæcis, ægriſque valere.
Romana ille etiam qui nunc verſatur in Aula
Minskius Orator, ſemperque impenſiùs inſtat,
Aſſerit vxorem propriam, dum vota Hyacintho
Nuncupat, adiutam ſubitò, partuque leuatam,
Cùm ſpes afflictæ ſupereſſet nulla ſalutis.
Iudicibus varijs iamdudùm eſt cognita cauſſa,
Omnia legitimè non vno teſte probata,
Formula iudicij nuſquàm, vel iuris omiſſa.
Et ſuperis plures Hyacinthum adſcribere Diuis
Pontifices voluêre, atque illi indicere cultum,
Præcipuè, qui nos benefactis pluribus olim
Deuinxit, dignus laudari in ſecula Sixtus.
Ad Sixti nomen trepidant mihi pectora crebris
Ictibus, erumpunt fletus, animoque recurſat
Plurima Pontificis virtus notiſsima noſtris
Verſibus, ad ſeros etiam ventura nepotes,
Gratius & grato veniens è pectore nomen.
Talibus interea ſemper ſanctiſsimus Heros
Proſequitur. Noſne ingenti deſiſtere cœpto?
Interrupto operi non vnquàm imponere finem?
Et cultu fraudare ſuo in terris Hyacinthum?
Imò agite, ô Fratres, quæ Spiritus afflat ab alto
Conſilia, atque animi veros expromite ſenſus.
Libera verba fluant: vobis data copia fandi.
,, Paſtores ſemper decuit vox libera ſacros.
Obſtupuêre omnes Hyacinthi ingentia facta
Voluentes ſecum, ſummique grauiſsima dicta
Pontificis: tum ſurgentes, iterumque ſedentes,
Ordine quiſque ſuo ſenſus dixêre fideles,

Purpurei primùm Patres, exinde ſacrarum
Cuſtodes ouium: proprium prolixior vnus
Iudicium latè extendit, contractior alter
Paucis multa refert. & ſunt ſua pondera verbis.
Vox grauiter ſonat in medio diuerſa Senatu,
Sed Patrum vox vna tamen; cùm maximus Heros
Dicitur in terris cæleſti dignus honore.
Haud ſecùs, impulſas cùm tentat pollice chordas
Argutus fidicen, concentus naſcitur vnus,
Eque ſonis varijs oritur diſcordia concors.
Et demum condicta dies, qua ſancto Hyacintho
Solenni ritu meriti indicantur honores.
Hic finis fandi. ſolio tum ſurgit ab alto
Clemens, quem Petri ducunt ad limina Patres.
Scilicet vt ſummo referatur gratia Regi,
Jllo quandoquidem deuictos tempore Turcas
Nuncia fama refert; ſed non tam Cæſaris armis,
Quàm precibus ſancti Herois victoria ceſſit.
Interea trabibus contextum ſurgit acernis
Suggeſtum in templo: cæſis altaria ſyluis,
Et menſa, & ſolium, varijſque ſedilia formis
Aptantur, datque aſcenſum pons ligneus vnum.
Pictis ſuggeſtum conſternitur omne tapetis,
Pallentes funduntur humi violæque roſæque,
Et ſparſis halant florentia limina ſertis.
A ſummo tabulato Hyacinthi pendet imago,
Aldobrandinæ necnon inſignia gentis.
Ecce autem ſacra dum cuncta parantur in Æde,
Omnibus hìc aliud maius, multoque notandum
Obijcitur magis, & trepidantia pectora firmat.
Romuleus ciuis, quem Ceulum nomine dicunt,
Dum iacet ingenti correptus corpora morbo,

Et ſucco herbarum, & media nequit arte iuuari,
Neſcius humano præſentem auertere mortem
Auxilio in cælum languentia lumina tollit,
Implorans multis Hyacinthi numina votis:
Et ſubitò ſanos è lecto corripit artus.
Diditur is Romæ conſtans per compita rumor:
Ponendum in templis ſimulacrum, orandaque Diui
Numina conclamant omnes: it clamor ad aſtra.
Iamque aderat condicta dies, quâ turba nouella
Chriſticolûm veſtes olim mutare ſolebat.
Ad Vaticani ſpatioſa palatia montis
Purpurei pergunt Patres. Pars maxima curru
Inuehitur, plura à tergo carpenta ſequuntur.
Cetera pars equitat: Sarrano inſtratus & oſtro
It mulus, manditque auratum dente lupatum.
Nobilitas Romana præit longo ordine, & acri
Gaudet equo, ſequiturque frequens Antiſtes in altis
Mulis: atque ſuum comitatur quiſque patronum.
In medio Pater incedit, demiſſaque pendet
Ex humeris vſque ad talos hyacinthina læna,
Purpurea acciſos abſcondit cauſia crines:
Inſignes præeunt faſces, argentea claua.
Poſtquàm ipſum ventum ad Tyberim, pontemq. vetuſtum,
Ecce tubo velox erumpit fulgur aheno:
Ælia terribili tonitru arx concuſſa tremiſcit:
Fulmina iacta volant: latè Tyberina reſultant
Littora, & immenſus fumo ſubtexitur æther.
Auditur ſiſtri ſonitus, clangorque tubarum,
Conciniturque melos prædulce, & tunſa bacillo
Tympana ab Heluetijs reboant: ſic ille per Vrbem
Fertur ouans, priſcos ſic Roma tuetur honores.
Iamque ſub vmbella rubeo inſignitus amictu,

Et ſacra præcinctus pretioſâ tempora mitrâ
Antiqui Clemens deſcendit in atria templi,
Quà ſacer excelſis Obeliſcus nubibus infert
Conſpicuum caput, auctori quæ maxima Sixto
Gloria debetur. Præeunt quot in Vrbe miniſtri
Templorum exiſtunt, quot relligioſa profeſſi
Diuerſis clauſtris Chriſti præcepta ſequuntur.
Paſtores veniunt ſacri, queis linea mitra
Tempora deuincit;nec non quos ſerica honeſtat,
Purpurei Patres incedunt ordine longo,
Et cuique in dextra latè fax cerea lucet.
Suggeſtum aſcendunt omnes, Clemenſque parato
Innixus ſolio à Patribus reuerenter habetur.
Ter varijs precibus duplicato poplite cuncti
Diuinum auxilium expoſcunt, ne labier illos
Permittat Deus. Hinc Clemens, qui munere Chriſti
Fungitur in terris, ſolio definit ab alto
Regnare in cælis Hyacinthum, adſcribit & illum
Cælitibus, feſtumque eius de nomine dictum
Mandat agi medio Sextilis tempore menſis.
Tum medio in templo ſonitus dat buccina lætos,
Fulmina ab arce tonant: & tanta conſcius æther
Lætitiæ cantu reſonat, planſuque ſecundo.
Exinde ornatas Clemens ſolennia ad aras
Sacra facit, multiſque vocat votis Hyacinthum.
Reſpicit è ſuperis Hyacinthus ſedibus, & ſe
Hic demum magnis lætatur honoribus auctum.
Infenſoque ſuos tutatur ab hoſte clientes,
Et ſolet his dexter dubijs in rebus adeſſe.
Cur ego non adeam? cur ceſſem in vota, preceſque?
Sancte faue, ô Hyacinthe, mihi, ſi pectore toto
Te veneror: ſi te in medio collaudo Senatu

Pontificis ſummi ante oculos, & cenſeo dignum
Cælicolûm cultu: Heroi ſi carminis arte
Trado tuum nomen manſuræ in ſecula famæ.
Sancte faue, ô Hyacinthe, & cælo deſpice clemens
A Varo profugum Paſtorem ad littora Tybris:
Errantem miſerare gregem, templique miniſtros
Exleges, & ſacra virus poſſeſſa profanis
Prædia, & Hæreticûm polluta cadauere templa.
En erit ille dies, cùm tuta in pace reductas
Paſcere oues liceat, diſtractaque rursùs habere
Prædia, & Hæreticûm noſtris effoſſa ſepulcris
Corpora proijcere, & ſacris dare iura miniſtris.
Nil moror vt tonſos hyacinthina cauſia crines
Velet, & ardenti ſtudio numeroſa clientum
Per medias vrbes me turba ſequatur euntem.
Non ego ſector opes, nec me ſitis vrit honorum.
Me mea paupertas vitæ placidiſsima puræ
Traducat, dum læta ſuis complexibus arcte
Me reducem teneat, quæ me nocteſque dieſque
Abſentem duplex ſuſpirat nupta maritum.
Dotem alij eripiunt, mihi onus ſolummodò reſtat
Connubij, tantaque animus ſub mole fatiſcit.
Et videt hoc, cæli qui torquet ſidera, nec dum
Sacrilegas punit vibrato fulmine dextras?
Adſpicis vt Galli ſtudia in contraria ſciſsi
Ciuili paſsim permiſcent omnia bello?
Pacem, Hyacinthe, refer, pacem te poſcimus omnes.
,, Nulla armis pietas. Regno procul arma faceſſant.
Iam ſatis agricolis campi, ſat ciuibus vrbes,
Sat fora iudicibus, viduataque templa miniſtris.
Funera ſat viſa, & Galli ſat ſanguinis hauſtum eſt.
O ego ſi tutamque Fidem, regnumque quietum,

Atque

Atque tuo cernam ſtabilitam munere pacem,
Quas tibi tunc reddam grates? quæ dona rependam?
Quinetiam quas ritè Deo ſacrauero ſoli,
Ipſe aras, Hyacinthe, tuo de nomine dicam,
Atque tuum puro ſimulacrum è marmore ponam,
Et populos tua facta meos è ſede docebo.
Quòd ſi, Hyacinthe, tuis precibus mihi denique detur
Inuiſam Hæreticis, & multis antè petitam
Inſidijs felici obitu concludere vitam,
Et proprio geminam reſpergere ſanguine Sedem,
Tunc ora vt duris ex huius ſentibus Orbis
Spiritus extractus ſubito admittatur ad hortos
Cæleſtes, atque illis purpureis Hyacinthis
Floreat inſertus, nullas ſenſurus & illic
Ingratas hyemes æterno vere fruatur.

FINIS.

SANCTISSIMO PATRI, AC D. N. SIXTO QVINTO PONTIFICI MAX. eidémque Principi optimo,

GVILIELMVS DV BLANC, ſuæ Sanctitatis Cubicularius intimus.

QVOD olim Parthis non licebat Principes ſuos ſine munere ſalutare, id etiam mihi non licere exiſtimans, BEATISSIME PATER, ne ad S. T. pedes manis accederem, & accideren, hoc ei munuſculum offerre conſtitui, illud quidem ex ſe leuiſſimum, eáque planè indignum: ſed ſi ex offerentis animo ponderetur, grauiſſimum certè, & meæ erga eam obſeruantiæ & cultus monumentum aliquod extiturum. Nam cùm parentibus natus ſim Catholicis, iiſdemque veteri nobilitate & pietate clariſſimis, meque ipſe ordini Eccleſiaſtico deuouerim, habeam inſuper (vt olim parentes S. R. E. Cardinales, & Epiſcopos quamplurimum) & ſic hodie adhuc patruum Guilielmũ du Blanc Epiſcopum Tolonenſem huic ſanctæ Sedi Apoſtolicæ deuotiſſimum, vt qui pro eius auctoritate defendenda libros complures adue-

ſus Hæreticos ediderit, quibus & fidem Catholicam conſtabilierit, & illorum repreſſerit temeritatem: necnon Vrbem tuam Auenionem maximis bellorum fluctibus iactatam, & nefaria peſte contaminatam ſub illuſtriſs. Card. Armeniaco rexerit, Prouinciæ illi ius dixerit, Legationis negotia prudenter adminiſtrauerit, in eoque munere annos tres & decem ſumma cum laude ſe geſſerit: fieri non poteſt, BEATISSIME PATER, quin & ego pro ingenita, ac velut iure quodam hereditario ad me tranſmiſſa religione, & huius Sanctæ Sedis obſeruantiſſimus, & Sãctitati tuæ addictiſſim⁹ ſẽper ſim futur⁹. Excipe igitur, obſecro te, excipe hoc quicquid eſt opuſculi, exẽplo auctoris noſtræ ſalutis Ieſu Chriſti, qui duo æra minuta, quæ Euangelica mulier obtulerat, non parui fecit, cuius ego Te vicarium agnoſco, & Beatitudinis Tuæ pedibus ſuppliciter aduolutus veneror: quem etiam precari non deſinam, vt Te FELICEM felici Eccleſiæ ſuæ diu & feliciter conſeruet. Romæ III. Non Octob. CIↃ IↃ LXXCVI.

AD LECTOREM.

Etſi inter obeliſcum, & Pyramidem hoc diſcriminis pleriq. omnes conſtituant, quod ille vno duntaxat, hæc lapidibus conſtet innumeris; quia tamen vtriuſque eadem ferè figura, & idem omnino ſymbolum eſt, ideo vtraque dictione promiſcuè vſus eſt Auctor, id præſertim in carmine ratus ſibi licere.

GVILIELMI
DV BLANC,

EPISCOPI GRASSENSIS ET VENCIENSIS.

ET SIXTI V. CVBICVLARII HOnorarij Sanctiorjs Epigrammata in Sixti V. memoriam ſempiternam.

I

QVÆ Vaticanis non longè à collibus olim
Obſcuro latuit Pyramis alta loco,
Nunc media attractam Diui tenet area petri:
SIXTI hæc Pontificis ſolicitudo fuit.
Quæque priùs ſteterat multos immota per annos,
Arte noua à SIXTO Principe mota fuit.
Tantam Pyramidis molem qui ſuſpicit, ille
Miratur quinam mobilis arte fuit.
Sed nihil eſt mirum à magnis ſi parua trahantur.
Saxaque MONSALTVS ſi minùs alta trahat.

II

Pyramis audierat decus admirabile SIXTI:
(Aurita Amphion ſaxa fuiſſe docet.)
Admirata ſuis non credidit auribus illa:
(Credere quis tantum poſſet in Orbe decus?)

Vertice ſubmiſſo ſacras obrepſit ad ædes,
Atque Palatinas ſubſtitit ante fores.
Tunc caput erexit, SIXTVM *ſi fortè videret,*
Quem ſimul ac vidit, credidit, & ſtupuit.
Hîc hæſit defixa, locum pertæſa priorem,
Sæpiùs vt SIXTI *cerneret ipſa decus.*

III

Ad Vaticani radicem in gloria montis
Stabam ego, & immundo ſemiſepulta ſitu.
Non tulit in tantis miſeram me ſordibus eſſe,
Non tulit obſcuro me latitare loco.
Sed media in platea iuſſit me ſiſtere SIXTVS:
O quàm vox tanti Principis vna poteſt!

IV.

Quæſitum eſt, vtrùm natura potentior arte
Eſſet, & hæc dubij quæſtio iuris erat.
Sed cùm vidiſſem natura immobile ſaxum
Arte trahi, & ſtatui commodiore loco,
Priſca procul, dixi, contentio vana faceſſat:
En vt naturæ præualet artis opus?

V.

Pyramidem vt vidit religatam Roma moueri,
Funibus & multis obſtupefacta trahi,
Cedat ait, SIXTO, *totum quod cõtinet Orbis:*
Omnia nam Princeps iſte mouere poteſt.
Ecquid non poterit SIXTVS *poſt illa mouere,*
Si proprio potuit ſaxa mouere loco?

VI.

Pyramidis nomen ſi deriuatur ab igne,
Vni debetur Pyramis iſta tibi.
Nam cùm flagrantem pietatem denotet ignis,
Vincere te vera quis pietate poteſt?

Sed quia tantarum ſeries longiſſima rerum
Facta vetat paucis percurrere plurima verbis,
Cerne virûm denſos humeros, ora adſpice ſumma.
Redditur huic viſus, geminæ huic reſerantur & aures.
Redditur huic ſolitæ vocis deperditus vſus:
Huic abſciſſa manus, dentes huic ore reuulſi.
Gallicus hinc Italis exortus morbus in oris
Linquit: & huic podagra, huic febris remouetur acuta.
Omnibus vna ſalus ægris, medicamen & vnum.
Effugit hic iam iam in media qui morte tenetur.
Conditus hic tumulo ſuperas euadit ad auras.
Iudice ſub duro tenebroſo hic carcere clauſus
Vxorem, & natos detecta fraude reuiſit.
Fluctibus ereptus mediis hic littora tangit.
Inq. dies noua ſuccedunt miracula priſcis.
Sic pius Ædituus defuncti picta Hyacinthi
Facta recenſebat, digitis & cuncta notabat.
Conticuit tandem, & finem dedit ore loquendi.
At Pater Hyppolitus iamdudùm fixus in vno
Obtutu auditos premit alto pectore caſus,
Atque animo virtus Hyacinthi multa recurſat.
Iamque redux Latiæ muris ſucceſſerat Vrbis.
Romanoque Patri tranſacta negotia regni
Sarmatici, & certo compoſtum fœdere bellum
Dixerat, Herois cùm facta audita recenſet,
Et vitam, & mores, & quæ miracula fecit.
Dicta animo figit Sixtus, magnumque Hyacinthum
Suſpicit, & lætis ardet numerare piorum
Ordinibus, meritoſque illi decernere honores:
Haud ſecùs, ac nuper miracula multa patrantem
Hiſpanum Didacum Cæleſtes rettulit inter.
Verùm aliæ prohibent curæ, dum Gallia præceps

Fertur,

Fertur, & infelix ciuilibus æſtuat armis.
Quinetiam multa adgreſſum, ſed plura parentem
Hei mihi! Pontificem mors funere mergit acerbo.
Sixtus obit! Sixtuſque ſui ſpes maxima Blanci!
Ducite perpetuos, mea lumina, ducite riuos,
Lumina nec poſthàc, ſed vos mea flumina dicam.
Ergone ſolus obis? & me, Pater optime, mœſtum
Deſeris? vna ambos cur non ſimul eripit hora?
Saltem ſi qua mihi reſtaret gratia tanti
Poſt obitum obſequij, ſi me promiſſa manerent
Præmia, non hodie prorſus deſertus haberer.
Sed valeant & opes, & honorum cæca cupido,
Dum modò te teneam, & memori ſub pectore ſeruem.
Alter opes habeat, potiatur honoribus alter,
Dum mea venturis, quæ tu laudare ſolebas,
Carmina ſyncerum ſeclis teſtentur amorem.
Vrbanus Sixti ſummo ſucceſſit honori:
Verùm, ſtelliferi curſus qui flectit Olympi,
Pontificem hunc tantùm oſtendit tibi Roma, neque vltra
Eſſe dedit, nimiùm Romana Eccleſia felix,
Si vitam in terris duxiſſet longiùs ille.
Sed neque, quem vacua Patres in Sede locarunt,
Vnum Gregorius vitam produxit in annum.
Quin ſucceſſorem Fachinetum nomine, & omni
Innocuum vita voluentem plurima ſecum
Mors inopina rapit: vix tanti ſideris ortu
Lætamur, luctum occaſus cùm protinùs affert.
Verùm illo extincto renuens poſt vota, preceſque
Aldobrandinus Lauinia ſceptra capeſſit,
Romanoque ſedens ſolio dat iura per Orbem.
Nuncia Sarmaticas vulgatur fama per vrbes,
Lætitiaque fremunt populi: Rex ipſe ſupinas

Tendit ad aſtrâ manus, meritaſque rependere grates
Supremo properat Regi pro munere tali.
Et ſibi cùm licuit per ſumma negotia Romam
Alto Oratorem deductum à ſanguine miſit.
Ille ſui ſeſe ſubmittit nomine Regis
Pontifici, & deuota ſacris fert oſcula plantis.
Dehinc vrget precibus multis, vt ſanctum Hyacinthum
In terris tandem cæli dignetur honore:
Vt demùm noſtro peragat feliciter æuo,
Quod Leo, quod Clemens, quod Paulus, Sixtus, & ambo
Gregorij, Vrbanuſque olim cepêre priores:
Vt quod tres olim Reges petière Poloni,
Quodque hodie nouus expoſcit, ne deneget ipſe:
Vt varijs lis acta foris, diſcuſſaque multis
Iudicibus plures ne protendatur in annos:
Sed noua Cælicolis accedant gaudia, Romæ
Gloria, ſolamen Regi, tutelaque regno.
Rem magnam expoſci, & prorsùs cæleſtis egentem
Auxilij, atque Deum Clemens in vota vocandum
Reſpondet, ſeque inde ſuis cum Fratribus ipſum
Acturum, & quæ cuique animo ſententia ſurgat,
Intellecturum, ne quem malus auferat error.
Iamque dies indicta aderat; ſanctuſque Senatus
Cogitur, & celſa Clemens in ſede locatur
Inſignis mitrâ, & pretioſo indutus amictu.
Egregij apparent Patres, quos purpura ſacro
In capite effulgens teſtari ſanguine Chriſtum
Admonet, & vitam pro Relligione paciſci.
Hiſpanis, Italis, Galliſque è finibus adſunt
Paſtores, patriæ clariſſima lumina gentis,
Quorum aliquos dudum proprijs ab ouilibus arcet
Relligio, & ſummæ tantùm reuerentia Sedis.

Heluetij longis innixi haſtilibus extra
Adſtant, & fidi portarum limina ſeruant.
Spiritus intùs adeſt cœleſtis, & ignibus vrit
Corda Patrum tacitis, animos moturus, & ora.
Intenti egerunt poſtquàm alta ſilentia cuncti,
Ipſe Pater Clemens ſolio ſic inſit ab alto.
O Fratres regni conſortes, atque laboris,
Quos æquis oculis hîc circunſpecto ſedentes,
Ardua ſunt hodie tractanda negotiā nobis:
Conſilia Omnipotens, & noſtros dirigat actus.
Fert animus Diuis Hyacinthum adſcribere, & vrget
Aſsiduis precibus, regni qui iuſta Poloni
Sceptra tenet, ſuadetque viri puriſsima vita.
Ille in Sarmatia præclaro ſanguine cretus
Ingenuas artes primis tractauit ab annis.
Noſtra hunc ſuſpexit Iuris, Legumque peritum
Felſina, & hunc Fidei myſteria ſacra docentem
Mirati populi, atque exin meliora ſecuti.
Domnici at exceptus clauſtro, & terreſtria prorſus
Abijciens quodnam officium pietatis omiſit?
In prece totus erat, lacrymis ieiunia ſolis
Paſcebat, duro lacerabat verbere terga.
Vnda ſitim, paniſque famem pellebat, & illi
Terra cubile dabat: diuino ardebat amore,
Nec dicto reliquis, aut facto defuit vnquàm.
Perpetuæ taceam quid virginitatis honores
Perpetuos, puramque in puro corpore mentem?
Quid ſileam exhauſtos pro Relligione labores,
Diuerſiſque Fidem diſperſam partibus Orbis,
Totque Deo poſitas aras, tot tecta locata
Adſcitis ſocijs? quid tot miracula narrem,
Quæ partim in vita, partim poſt funera fecit?

Reddidit extinctis vitam, mutiſque loquelam,
Auditum ſurdis, & truncis membra reciſa,
Atque videre dedit cæcis, ægriſque valere.
Romana ille etiam qui nunc verſatur in Aula
Minskius Orator, ſemperque impenſiùs inſtat,
Aſſerit vxorem propriam, dum vota Hyacintho
Nuncupat, adiutam ſubitò, partuque leuatam,
Cùm ſpes afflictæ ſupereſſet nulla ſalutis.
Iudicibus varijs iamdudùm eſt cognita cauſſa,
Omnia legitimè non vno teſte probata,
Formula iudicij nuſquàm, vel iuris omiſſa.
Et ſuperis plures Hyacinthum adſcribere Diuis
Pontifices voluêre, atque illi indicere cultum,
Præcipuè, qui nos benefactis pluribus olim
Deuinxit, dignus laudari in ſecula Sixtus.
Ad Sixti nomen trepidant mihi pectora crebris
Ictibus, erumpunt fletus, animoque recurſat
Plurima Pontificis virtus notiſſima noſtris
Verſibus, ad ſeros etiam ventura nepotes,
Gratius & grato veniens è pectore nomen.
Talibus intereà ſemper ſanctiſſimus Heros
Proſequitur. Noſne ingenti deſiſtere cœpto?
Interrupto operi non vnquàm imponere finem?
Et cultu fraudare ſuo in terris Hyacinthum?
Imò agite, ô Fratres, quæ Spiritus afflat ab alto
Conſilia, atque animi veros expromite ſenſus.
Libera verba fluant: vobis data copia fandi.
„ Paſtores ſemper decuit vox libera ſacros.
Obſtupuêre omnes Hyacinthi ingentia facta
Voluentes ſecum, ſummique grauiſſima dicta
Pontificis: tum ſurgentes, iterumque ſedentes,
Ordine quiſque ſuo ſenſus dixêre fideles,

Purpurei primùm Patres, exinde ſacrarum
Cuſtodes ouium: proprium prolixior vnus
Iudicium latè extendit, contractior alter
Paucis multa refert. & ſunt ſua pondera verbis.
Vox grauiter ſonat in medio diuerſa Senatu,
Sed Patrum vox vna tamen; cùm maximus Heros
Dicitur in terris cæleſti dignus honore.
Haud ſecùs, impulſas cùm tentat pollice chordas
Argutus fidicen, concentus naſcitur vnus,
Eque ſonis varijs oritur diſcordia concors.
Et demùm condicta dies, qua ſancto Hyacintho
Solenni ritu meriti indicantur honores.
Hic finis fandi. ſolio tum ſurgit ab alto
Clemens, quem Petri ducunt ad limina Patres.
Scilicet vt ſummo referatur gratia Regi,
Jllo quandoquidem deuictos tempore Turcas
Nuncia fama refert; ſed non tam Cæſaris armis,
Quàm precibus ſancti Herois victoria ceſsit.
Interea trabibus contextum ſurgit acernis
Suggeſtum in templo: cæſis altaria ſyluis,
Et menſa, & ſolium, vtrijſque ſedilia formis
Aptantur, datque aſcenſum pons ligneus vnum.
Pictis ſuggeſtum conſternitur omne tapetis,
Pallentes funduntur humi violæque roſæque,
Et ſparſis halant florentia limina ſertis.
A ſummo tabulato Hyacinthi pendet imago,
Aldobrandinæ necnon inſignia gentis.
Ecce autem ſacra dum cuncta parantur in Æde,
Omnibus hic aliud maius, multoque notandum
Obijcitur magis, & trepidantia pectora firmat.
Romuleus ciuis, quem Ceulum nomine dicunt,
Dum iacet ingenti correptus corpora morbo,

Et ſucco herbarum, & media nequit arte iuuari,
Neſcius humano præſentem auertere mortem
Auxilio in cælum languentia lumina tollit,
Implorans multis Hyacinthi numina votis:
Et ſubitò ſanos è lecto corripit artus.
Diditur is Romæ conſtans per compita rumor:
Ponendum in templis ſimulacrum, orandaque Diui
Numina conclamant omnes: it clamor ad aſtra.
Iamque aderat condicta dies, quâ turba nouella
Chriſticolûm veſtes olim mutare ſolebat.
Ad Vaticani ſpatioſa palatia montis
Purpurei pergunt Patres. Pars maxima curru
Inuehitur, plura à tergo carpenta ſequuntur.
Cetera pars equitat: Sarrano inſtratus & oſtro
It mulus, manditque auratum dente lupatum.
Nobilitas Romana præit longo ordine, & acri
Gaudet equo, ſequiturque frequens Antiſtes in altis
Mulis: atque ſuum comitatur quiſque patronum.
In medio Pater incedit, demiſſaque pendet
Ex humeris vſque ad talos hyacinthina læna,
Purpurea acciſos abſcondit cauſia crines:
Inſignes præeunt faſces, argentea claua.
Poſtquàm ipſum ventum ad Tyberim, pontemq. vetuſtum,
Ecce tubo velox erumpit fulgur aheno:
Ælia terribili tonitru arx concuſſa tremiſcit:
Fulmina iacta volant: latè Tyberina reſultant
Littora, & immenſus fumo ſubtexitur æther.
Auditur ſiſtri ſonitus, clangorque tubarum,
Conciniturque melos prædulce, & tunſa bacillo
Tympana ab Heluetijs reboant: ſic ille per Vrbem
Fertur ouans, priſcos ſic Roma tuetur honores.
Iamque ſub vmbella rubeo inſignitus amictu,

Et ſacra præcinctus pretioſâ tempora mitrâ
Antiqui Clemens deſcendit in atria templi,
Quà ſacer excelſis Obeliſcus nubibus infert
Conſpicuum caput, auctori quæ maxima Sixto
Gloria debetur. Præeunt quot in Vrbe miniſtri
Templorum exiſtunt, quot relligioſa profeſſi
Diuerſis clauſtris Chriſti præcepta ſequuntur.
Paſtores veniunt ſacri, queis linea mitra
Tempora deuincit; nec non quos ſerica honeſtat,
Purpurei Patres incedunt ordine longo,
Et cuique in dextra latè fax cerea lucet.
Suggeſtum aſcendunt omnes, Clemenſque parato
Innixus ſolio à Patribus reuerenter habetur.
Ter varijs precibus duplicato poplite cuncti
Diuinum auxilium expoſcunt, ne labier illos
Permittat Deus. Hinc Clemens, qui munere Chriſti
Fungitur in terris, ſolio definit ab alto
Regnare in cælis Hyacinthum, adſcribit & illum
Cælitibus, feſtumque eius de nomine dictum
Mandat agi medio Sextilis tempore menſis.
Tum medio in templo ſonitus dat buccina lætos,
Fulmina ab arce tonant: & tantæ conſcius æther
Lætitiæ cantu reſonat, plauſuque ſecundo.
Exinde ornatas Clemens ſolennia ad aras
Sacra facit, multiſque vocat votis Hyacinthum.
Reſpicit e ſuperis Hyacinthus ſedibus, & ſe
Hîc demûm magnis lætatur honoribus auctum.
Inſenſoque ſuos tutatur ab hoſte clientes,
Et ſolet his dexter dubijs in rebus adeſſe.
Cur ego non adeam? cur ceſſem in vota, preceſque?
Sancte faue, ô Hyacinthe, mihi, ſi pectore toto
Te veneror: ſi te in medio collaudo Senatu

Pontificis ſummi ante oculos, & cenſeo dignum
Cælicolûm cultu: Heroi ſi carminis arte
Trado tuum nomen manſuræ in ſecula famæ.
Sancte faue, ô Hyacinthe, & cælo deſpice clemens
A Varo profugum Paſtorem ad littora Tybris:
Errantem miſerare gregem, templique miniſtros
Ex leges, & ſacra viris poſſeſſa profanis
Prædia, & Hæreticûm polluta cadauere templa.
En erit ille dies, cùm tuta in pace reductas
Paſcere oues liceat, diſtractaque rursùs habere
Prædia, & Hæreticûm noſtris effoſſa ſepulcris
Corpora proijcere, & ſacris dare iura miniſtris.
Nil moror vt tonſos hyacinthina cauſia crines
Velet, & ardenti ſtudio numeroſa clientum
Per medias vrbes me turba ſequatur euntem.
Non ego ſector opes, nec me ſitis vrit honorum.
Me mea paupertas vitæ placidiſsima puræ
Traducat, dum læta ſuis complexibus arctè
Me reducem teneat, quæ me noctéſque dieſque
Abſentem duplex ſuſpirat nupta maritum.
Dotem alij eripiunt, mihi onus ſolummodò reſtat
Connubij, tantaque animus ſub mole fatiſcit.
Et videt hoc, cæli qui torquet ſidera, nec dum
Sacrilegas punit vibrato fulmine dextras?
Adſpicis vt Galli ſtudia in contraria ſciſsi
Ciuili paſsim permiſcent omnia bello?
Pacem, Hyacinthe, refer, pacem te poſcimus omnes.
„Nulla armis pietas. Regno procul arma faceſſant.
Iam ſatis agricolis campi, ſat ciuibus vrbes,
Sat fora iudicibus, viduataque templa miniſtris.
Funera ſat viſa, & Galli ſat ſanguinis hauſtum eſt.
O! ego ſi tutamque Fidem, regnumque quietum,

Atque

Atque tuo cernam ſtabilitam munere pacem,
Quas tibi tunc reddam grates? quæ dona rependam?
Quinetiam quas rite Deo ſacrauero ſoli,
Ipſe aras, Hyacinthe, tuo de nomine dicam,
Atque tuum puro ſimulacrum è marmore ponam,
Et populos tua facta meos è ſede docebo.
Quòd ſi, Hyacinthe, tuis precibus mihi denique detur
Inuiſam Hæreticis, & multis antè petitam
Inſidijs felici obitu concludere vitam,
Et proprio geminam reſpergere ſanguine Sedem,
Tunc ora vt duris ex huius ſentibus Orbis
Spiritus extractus ſubitò admittatur ad hortos
Cæleſtes, atque illis purpureis Hyacinthis
Floreat inſertus, nullas ſenſurus & illic
Ingratas hyemes æterno vere fruatur.

Q

FINIS.

SANCTISSIMO PATRI, AC D. N. SIXTO QVINTO PONTIFICI MAX.

eidémque Principi optimo,

GVILIELMVS DV BLANC,
ſuæ Sanctitatis Cubicularius intimus.

QVOD olim Parthis non licebat Principes ſuos ſine munere ſalutare, id etiam mihi non licere exiſtimans, BEATISSIME PATER, ne ad S. T. pedes inanis accederem, & accederem, hoc ei munuſculum offerre conſtitui, illud quidem ex ſe leuiſſimum, eáque planè indignum: ſed ſi ex offerentis animo penderetur, grauiſſimum certè, & meæ erga eam obſeruantiæ & cultus monumentum aliquod extiturum. Nam cùm parentibus natus ſim Catholicis, iiſdemque veteri nobilitate & pietate clariſſimis, meque ipſe ordini Eccleſiaſtico deuouerim, habeam inſuper (vt olim parentes S. R. E. Cardinales, & Epiſcopos quamplurimum) & ſic hodie adhuc patruum Guilielmú du Blanc Epiſcopum Tolonenſem huic ſanctæ Sedi Apoſtolicæ deuotiſſimum, vt qui pro eius auctoritate defendenda libros complures aduer-

ſus Hæreticos ediderit, quibus & fidem Catholicam conſtabilierit, & illorum repreſſerit temeritatem: necnon Vrbem tuam Auenionem maximis bellorum fluctibus iactatam, & nefaria peſte contaminatam ſub illuſtriſs. Card. Armeniaco rexerit, Prouinciæ illi ius dixerit, Legationis negotia prudenter adminiſtrauerit, in eoque munere annos tres & decem ſumma cum laude ſe geſſerit: fieri non poteſt, BEATISSIME PATER, quin & ego pro ingenita, ac velut iure quodam hereditario ad me tranſmiſſa religione, & huius Sanctæ Sedis obſeruantiſſimus, & Sãctitati tuæ addictiſſim⁹ sẽper ſim futur⁹. Excipe igitur, obſecro te, excipe hoc quicquid eſt opuſculi, exẽplo auctoris noſtræ ſalutis Ieſu Chriſti, qui duo æra minuta, quæ Euangelica mulier obtulerat, non parui fecit, cuius ego Te vicarium agnoſco, & Beatitudinis Tuæ pedibus ſuppliciter aduolutus veneror: quem etiam precari non deſinam, vt Te FELICEM felici Eccleſiæ ſuæ diu & feliciter conſeruet. Romæ III. Non Octob. CIↃ IↃ LXXCVI.

AD LECTOREM.

Et ſi inter obeliſcum, & Pyramidem hoc diſcriminis pleriq. omnes conſtituant, quod ille vno duntaxat, hæc lapidibus conſtet innumeris; quia tamen vtriuſque eadem ferè figura, & idem omnino ſymbolum eſt, ideo vtraque dictione promiſcuè vſus eſt Auctor, id præſertim in carmine ratus ſibi licere.

Vertice ſubmiſſo ſacras obrepſit ad ædes,
Atque Palatinas ſubſtitit ante fores.
Tunc caput erexit, Sixtvm ſi fortè videret,
Quem ſimul ac vidit, credidit, & ſtupuit.
Hîc hæſit defixa, locum pertæſa priorem,
Sæpiùs vt Sixti cerneret ipſa decus.

III

Ad Vaticani radicem in gloria montis
Stabam ego, & immundo ſemiſepulta ſitu.
Non tulit in tantis miſeram me ſordibus eſſe,
Non tulit obſcuro me latitare loco.
Sed media in platea iuſsit me ſiſtere Sixtvs:
O quàm vox tanti Principis vna poteſt!

IV.

Quæſitum eſt, vtrùm natura potentior arte
Eſſet, & hæc dubij queſtio iuris erat.
Sed cùm vidiſſem naturâ immobile ſaxum
Arte trahi, & ſtatui commodiore loco;
Priſca procul, dixi, contentio vana faceſſat:
En vt naturæ præualet artis opus?

V.

Pyramidem vt vidit religatam Roma moueri,
Funibus & multis obſtupefacta trahi,
Cedat ait, Sixto, totum quod cõtinet Orbis.
Omnia nam Princeps iſte mouere poteſt.
Ecquid non poterit Sixtvs poſt illa mouere,
Si proprio potuit ſaxa mouere loco?

VI.

Pyramidis nomen ſi deriuatur ab igne,
Vni debetur Pyramis iſta tibi.
Nam cùm flagrantem pietatem denotet ignis,
Vincere te vera quis pietate poteſt?

Cetera, ad hac igni ſubſunt elementa minora:
Et ſubſunt aër, vnda, ſolumque tibi.
Orbi flamma viget cæleſti proxima: Cæli
Sic potes occluſas tu reſerare fores.
Ignis natura eſt, vt ſemper tendat in altum:
Atque animus ſemper tendit in aſtra tuus.
Anguſto includi neſcit vaga flamma camino,
Sic tua non vno eſt gloria clauſa loco.
Purgare eſt ignis proprium: latronibus ipſe
Purgaſti Italiam, præcipuiſque malis,
Ignis ſplendorem partes diffundit in omnes:
Illuces Orbi tu quoque ſancte ſenex.
Nocturnas ignis tenebras diſpellit: & ignis
E toto tenebras diſcutit Orbe tuus.
Igneus es totus, tu nil niſi viuidus ignis:
Pyramis & ſoli conuenit iſta tibi.

VII.

Coctilia Aſſyrij Babylonia mœnia iactent:
Celſa ſuam turrim tollat in aſtra Pharos.
Caria Mauſoli celebret regale ſepulchrum:
Inclyta Phidiacum prædicet Elis opus.
Decantent Epheſi celeberrima templa Dianæ:
Et Medus Cyri regia tecta canat.
Pulchra Rhodos magni miretur membra Coloſsi:
Pyramidem extollat Roma ſuperba ſuam.

VIII.

Ingens vt facili poſſet transferrier arte,
Demiſſa in terram Pyramis ante fuit.
Inde fuit paruo rurſus ſublata labore,
Nubibus excelſis inſeruitque caput.
Diſcite, Romani, primum ſubmittier, altum
Si ſapitis: ſummus nemo repente fuit.

Aſt humilis, demiſſus humi, ſublimia quærit.
Qui volet, hoc facili ſcandet ad aſtra gradu.

IX.

Saxa agit Amphion, Thebana vt mœnia condat:
SIXTVS & immenſæ pondera molis agit.
Saxa trahunt ambo longe diuerſa: ſed arte
Hæc trahit Amphion, SIXTVS & arte trahit.
At tantum exſuperat Dircæum Amphiona SIXTVS.
Quantùm hic exſuperat cetera ſaxa lapis.

X.

Fama vbi tranſlatæ fuerit diffuſa per Orbem
Pyramidis, nullo deperitura die,
Romanam citus adueniet Germanus ad Vrbem,
Vt maius fama contueatur opus.
Adueniet velox aduerſis Indus ab oris,
Et feret huc celeres Graïa turba gradus.
Huc iter Hiſpani facient per cærula nautæ:
Huc Orientales vela ſecunda dabunt.
Gallia noſtra aderit valdè ſtudioſa videndi,
Quam tenet immodicus Martis & Artis amor,
Si verò Hiſpanus, Germanus, Eous, Achiuus,
Indus, ſeu Gallus Pyramidem videat;
Qui ſaxi molem non admirabitur huius,
Durior hac ſaxi mole putandus erit.

XI.

Angulus ingentem celauerat antè remotus
Pyramidem dignam nobiliore loco.
Tranſtulit hanc SIXTVS QVINTVS, mediaque locauit
In platea, Diui ſunt vbi templa Petri.
Tanta vt Pyramidi fuit area debita tantæ,
Debita ſic plateæ Pyramis ipſa fuit.
Ac vt Pyramidem celebris locus ornat acutam,

Pyramis exornat ſic celebrata locum,
Quod dedit hæc illi, priùs hæc accepit ab illo:
Quodque hæc accepit, iam dedit ille priùs.
Sic par ergo pari compenſant munere munus,
Comparia officio, Pyramis atque locus.

XII

Hûc populi properent: en ſaxea ſurgit in altum,
Quæ varijs moles molibus acta fuit.
Viſendi ſtudio accurrant, quin immò recedant,
Aut ſua palpebris lumina tecta premant.
Nam ſubitò attonitus, viſo quaſi Gorgonis ore,
Qui lapidem hunc cernet, fiet & ipſe lapis.

XIII.

Pyramis hæc Solem vix antè obſcura videbat,
Maiores Soli quam voluêre ſacram.
Reddit eam luci SIXTVS*: nunc proxima Soli.*
Fixa ſolo, ſoli ſola dicata Deo eſt.

XIV.

Pro merito attolli tibi Pyramis altera debet,
Pyramidem immotam, SIXTE*, quòd arte moues.*

XV.

Vrbs Qui-



Vrbs Quiritũ
Floruit olim
Magnis conſpicua
Molibus, & ſtatuis,
Quas Romana potentia
Mira arte terris è remotis
Victrix in Vrbẽ vexerat integras.
Hæ denotabant acria prælia
Aduerſus hoſtes facta viriliter,
Virtutis almæ nobile præmium.
Verum profundis obruta noctib⁹
Romæ iacebant hæc opera omnia,
Ni maximorum Pontificum decus
Dignus Sibyllæ ſecula viuere
Sixtus, latrones poſt domitos graui
Bello, ſubactos fortiter exules,
Et liberatos Italicos ſinus,
Vrbi nitorem reddere priſtinum
Conatus eſſet: ſaxa iacentia
Ni ſuſtuliſſet: conſpicuo niſi
Rectam locaſſet Pyramidem loco:
Votiuá ad ædem Virginis integræ
Strauiſſet amplas, & faciles vias
Puras in Vrbem Romuleam niſi
Duxiſſet vndas tramite deuio.
Quando igitur per te nunc priſtina Roma reſurgit,

R

Communi voto, & veteri de more Quirites
Hunc tibi, SIXTE, locant Obeliſcum è marmore duro.

SIXTO V. PONT. MAX. OPT. PRINC. FELICI PERRETO DE MONTE ALTO PA. PA. OB PVRGATAM PRÆDONIB. ITALIAM, RESTITVTAM INSTAVRATAMQ. VRB. OBELISCVM CAES. E CIRCO NERON. IN MEDIAM D. PETRI AREAM INCREDIB. SVMPTV TRALAT. ET VERÆ RELIGIONI DEDICATVM S. P. Q. R. AD REI MEMOR. OBELISC. HVNC P.

XVI.

Vnus vt eſt Phœnix, longæ poſt tempora vitæ
Qui rapido incenſus Solis ab igne perit,
Sed cinere è proprio ſe ſe ipſe reſeminat ales,
Atque illi è tumulo vita renata redit.
Vnica ſic Roma eſt, longos quæ firma per annos
Incenſa hoſtili ſæpiùs igne fuit.
Illa ſed è proprijs fuit inſtaurata ruinis,
Atque è ruderibus pòſt reparata ſuis.

XVII.

Pyramidi ſuper impoſitos Tritonia montes
Vt vidit, ſancti ſtemmata clara Patris,
Sic ait ad Muſas: vobis linquenda, Sorores,
Græcia: vos Latij regna beata manent.
En vt MONSALTVS *ſeptem ſupereminet Vrbis*
Collibus? hunc poſthac vos habitare decet.
Vos ille hoſpitio excipiet, vos ille fouebit,
Et præerit veſtris alter Apollo choris.
Nec vos Parnaſſum montem liquiſſe pigebit:
Nam fuit iſte biceps, aſt erit ille triceps.

XVIII.

Pyramidem Soli quam priſca dicauerat ætas,

Auctori Solis tu modo, SIXTE, dicas.

XIX.

Multi mirantur Xerxes quî Perſicus olim
Fecerit, vt velis peruius eſſet Athos.
Multi mirantur perfoſſum à pluribus Iſthmon,
Et ſi perfectum non fuit illud opus.
Multi diuiſas Alpes mirantur aceto,
Multi exhauſta hominum ſtagna Lucrina manu.
Veniſſe exciſo, Luculli in prædia, monte
Euripum, plures obſtupuêre viri.
Quid ſi vidiſſent à SIXTO Principe motam
Pyramidem, in medium tranſpoſitamque forum?

XX.

Siſyphus aſſiduò ſaxum dum volueret ingens,
Alterna poſſet nec requiete frui,
Senſit apud ſuperos operoſa mole moueri
Pyramidem, & ſiſti ſplendidiore loco.
Inuidit ſuperis (Stygio nam regnat in Orco
Inuidia) & tales edidit ore ſonos:
O me felicem, voluendi vt ponderis ars eſt,
Ars ita ſiſtendi ſi foret vlla mihi.

XXI.

Aſtra Polo lucent, tranſcendunt aëra montes,
Vaſto terrarum degit in Orbe leo.
Pyramide in ſumma ſunt hæc inſignia SIXTI,
Cuius laus terras, aëra, & aſtra replet.

XXII.

Quadrata eſt, punctum quæ Pyramis exit in vnum,
Et Soli quondam ſacra dicata fuit.
Sic quadruplex annus lucem concurrit in vnam,
Biſſextus nobis prouenit vnde dies.
Soli annus ſacer eſt: & nil niſi σύμβολον anni

Romanis olim Pyramis iſta fuit.

XXIII.

Cùm vaga diluuio Tellus ſubmerſa fuiſſet,
Et tumidis hominum gens periſſet aquis,
Iactis à tergo ſaxis reparaſſe, Poëtæ
Fingunt humanum Deucaliona genus.
Verùm tunc illi ſi talia ſaxa fuiſſent,
O quantos aleret terra Gigantas iners?

XXIV.

Ægypto Auguſtus Romam me aduexit, & alter
Auguſtus mediam tranſtulit in plateam.
Ille fuit princeps, hic princeps: ſed facit hunc res
Auguſtum, Auguſti nomen at alter habet.

XXV.

Quòd mihi tam longo celebretur Pyramis iſta
Carmine, ne mirum, candide lector, habe.
Pyramides Phœbo, ſunt & ſacra carmina Phœbo:
Conueniunt igitur carmina Pyramidi.

XXVI.

Hæreticus, genus impurum, gens perfida, & exlex,
Gens tantùm indoctos fallere docta viros,
Sacrilego (horreſco referens) deiecerat auſo
Edita ſacratæ ſigna verenda Crucis.
Relligio iacuit iuſto commota dolore,
Et lacrumas oculis fudit, & ore preces.
Verùm cùm Romæ ſanctiſſimus ænea SIXTVS
Ederet in ſaxi vertice ſigna Crucis,
Tunc ſurgente Crucis ſigno ſurrexit & ipſa
Relligio, vt iacuit mœſta, iacente Cruce.
In riſum lacrumas, & luctum in gaudia vertit.
Lamenta in cantum, in iubila læta preces.
Nec minùs eſt gauiſa Crucis conſurgere ſignum,

Quàm doluit ſanctæ ſigna iacere Crucis.

XXVII.

Vana ſuperſtitio ſibi Romæ erexerat olim
Pyramides, doctâ ſaxa polita manu.
Relligio illius victrix ſibi parta trophæa
Vindicat, hiſque addit clara trophæa Crucis.

XXVIII.

Pyramis vt fidei poſt hac inſeruiat almæ,
SIXTVS eam transfert, ſacrat & ipſe Cruci.
Nec mirum eſt tantæ transferri pondera molis,
„ Nam transfert montes indubitata fides.

XXIX.

Olim Pyramides varias habuêre Quirites,
Omnes ſed longo deperiere ſitu.
Vna hæc præ reliquis ſemper ſtetit integra Romæ,
Nec potuit longo firma perire ſitu.
Sic vna eſt ſemper Romana Eccleſia, quæ ſtat
Integra, quam potis eſt frangere nulla dies.
Quæres, quî ſteterit longos integra per annos?
Eius quod CHRISTVS creditur eſſe baſis.

XXX.

Ænea ſerpentis Moſes ſimulacra ſacerdos
Extulit, ægrotis vt medicina foret.
Nunc alter Moſes obeliſci in vertice SIXTVS
Erigit ægrotis ænea ſigna Crucis.
Vos, ô Romani, ſuſtollite ad æthera vultus,
A Cruce nam vobis veſtra petenda ſalus.

XXXI.

Integra præ reliquis quòd Pyramis vna remanſit,
Non mirum eſt, illam texerat vmbra Petri.
Sed neque nunc mirum eſt in apricum educier illam:
Sub SIXTO integritas inuiolata manet.

XXXII.

Romuleam Princeps dum Luxemburgus in Vrbem
Magna equitum turma præueniente venit,
Pyramis audito ſtrepitu conſurgit in altum,
Celſaque conſpicuum tollit in aſtra caput:
Scilicet vt pompam latè proſpectet equeſtrem,
Qualem non vidit forſitan illa priùs

XXXIII.

Dux Pinei veniens Francorum nomine Regis,
Dum Romanorum grandia tecta ſubit,
Pyramidem rectam miratur ſurgere vulgus,
Quæ præcedenti nocte iacebat humi.
In promptu cauſſa eſt: mirari deſine vulgus,
Intranti adſurgit Pyramis ipſa Duci.

XXXIV.

Dum ſtabit motus nullis Obeliſcus ab Euris,
SIXTE, *tuum ſtabit nomen, honoſque tuus.*

XXXV.

Marmore humi poſito CHRISTI *ne ſigna iacerent*
Cæſareis cautum Legibus antè fuit.
Marmoreæ moli SIXTVS *ſuperaddidit altæ*
Signa Crucis: nunquid Cæſare maior is eſt?

XXXVI.

Pyramis hîc igitur poſthac immota manebis?
Hæc tua erit ſedes? hic locus vnus erit?
Immò ego carminibus propria te ſede reuellam:
Sis licet ipſa ingens, ſis licet ipſa grauis.
Te mea Muſa feret, quà ſe Palantias effert:
Te trans Herculeos trans feret illa ſinus.
Sis etiam procera licet, ſis quamlibet alta,
Aſtra licet ferias vertice celſa tuo,
Altiùs haud ſolui metuens te penna deinceps

Euehet, & cæli te ſuper aſtra feret.
Sis diuturna licet, ſolido de marmore facta,
Carminibus fies tu diuturna magis.
Marmora tempus edit, conſumit ſaxa vetuſtas:
Sed nihil in Muſas hæc duo iuris habent.

EIVSDEM
ANAGRAMMATISMI.

FELIX PERRETVS DE MONTE ALTO.
EN SAXVM TOLLIT, ET DEFERT OPE?

Iambicum trimetrum.

Princeps abundè copiis circumfluens,
Qui liberalis parcere impenſis negat,
Nil inchoatum deſerit, ſed perficit
Quicquid profundis experitur ſumptibus.
Transferre montes, arduas rupes ſolo
Æquare, valles eleuare concauas,
Siccare fluctus profluentis fluminis,
Curſus aquarum in prædium deducere,
Saxum, quod altis hæreat radicibus
Fixum, mouere proprio poteſt loco.
Hæc cuncta Princeps perficit ditiſſimus.
„ *Magnam potentes porrigunt opes opem.*
S*IXTVS gubernans legibus mundum ſuis*
Engrande SAXVM TOLLIT, ET DEFERT OPE?

FELIX PERRETVS DE MONTE ALTO.
VEL PONTIFEX DETERRET MALOS.
Iambicum trimetrum.

Artes fuerunt Ciuitatis Romulæ
Perdere rebelles, ſubditis ignoſcere:
Iſtis & Orbem Roma rexit artibus,
Ac imperatrix gentibus leges dedit.
Et nunc eaſdem Pontifex artes tenet
SIXTVS*: per illas imperat feliciter*
Et Vrbi, & Orbi. Recreat bonos bonus,
*V*EL PONTIFEX *à fraude* DETERRET MALOS.

FELIX PERRETVS.
PERFERIT EXVLES.

Aſclepiadeum.

Purgauit Latium maximus Hercules
Monſtris horrificis, atque latronibus:
Claua roborea contudit exulem
Prædonem hìc vbi ſunt ſaxa Lacinia:
Romani latebra montis in abdita
Cacum magnanimus perdidit impium.
Nunc SIXTVS *domitos, alter vt Hercules.*
Non ſolùm ferit, at PERFERIT EXVLES.

SIXTVS

SIXTVS QVINTVS DE MONTE ALTO.
MVNDO SOLVS EXTAT INQVIETVS.

Hendecaſyllabum

Felix, qui regitur Monarcha ab vno,
Mundus: ſed vigili eſt opus Monarcha,
Et qui centoculi ſit inſtar Argi,
Qui nunquam requieſcat. Ecce SIXTVS
Mundi ſolus honos, Monarcha ſolus
Mundum quàm bene ſolus adminiſtrat,
*M*VNDO SOLVS ENIM INQVIETVS EXTAT,

Senarium.

Mundo quietem principis gignit labor,
Omnes quietos reddere vt mundo queat,
*M*VNDO INQVIETVS SOLVS EXTAT *P*ONTIFEX,

S

SIXTVS V. DE MONTE ALTO

TANTOS EXVLES DOMVIT.

Saphicum.

GENS potens armis, inimica pacis
Fuſo inundabat Latium cruore,
Et dabat rubris abolenda flammis
Tecta ſuperba.
Corde ducebat gemitus ab imo,
Et genas fuſis lacrumis rigabat,
Exules cernens equitare multos
Itala tellus.
Itala ô tellus cohibe dolorem,
Siſte ſub SIXTO lacrumas obortas,
Ecce Saturni rediêre tandem
Aurea ſecla.
Dic Io Pæan, age nunc triumphos
Delphica crines redimita frondes,
EXVLES TANTOS DOMVIT PERETI
Ferrea virga.

SIXTO QVINTO
PONT. OPT. MAX.
MECÆNATI SVO,

GVILIELMVS DV BLANC
ſuæ Sanctitatis Camerarius intimus.

DVO ſunt, quibus regalis animus, & ingenium generoſum elucet, datio, & acceptio; ſed vt in dando maiorem aliquam beatitatem ineſſe concedam, cùm ille, cuius in terris perſonam ſuſtines, Beatiſſime Pater, oraculum illud ediderit, beatius eſſe dare, quàm accipere, non minorem tamen in accipiendo, quàm in dando animi excelſitatem exiſtimo apparere. Præclarè Titus Imperator eum diem, quo non aliquid donaſſet, periiſſe ſibi, ſed præclariùs Rex Perſarum Artaxerxes, non eſſe minùs regium parua accipere, quàm donare magna, dictitabat. Hoc enim ab rerum vbertate, & felicitate; illud à virtute, & humanitate omninò dependet: hoc neque in omnes præſtatur, neque ſemper præſtatur, & ſi ſæpiùs præſtetur, eueniet vt iam ampliùs præſtari non poſſit; illud verò & in omnes, & omni tempore poteſt exerceri. Dant plerunque Principes, non tam vt aliis benefaciant, quàm vt facultates, & copias ſuas oſtentent: veluti cùm in populum ſpargunt miſſilia, quæ ipſi habent

pro derelicto: ſed parua cùm accipiunt, neque illa deſpicatui habent, vt ob exilitatem muneris in auaritiæ ſuſpicionem venire non poſſunt, ita facilitatem oſtendunt ſuam, quæ virtus vna eſt Principum maximè propria. Quam ego in Te cùm anteà ſepiùs expertus fuerim, SIXTE PONTIFEX, quod Tibi ſuperioribus menſibus munuſculum concinnaui, Beatitudini Tuæ ſuppliciter nunc offero, ſperans fore, vt quemadmodùm idem ille Artaxerxes aquam è riuo proximo manibus hauſtam, ſibique ab operario oblatam non recuſauit, ita Tu has meas, immò veriùs Tuas AQVAS FELICES tranquilla, & ſerena fronte ſuſpicias, neque Tuæ illius inexhauſtæ benignitatis fontes, qui mihi ſemper anteà patuerunt, clauſos nunc eſſe patiaris. Tuum eſt, quod Tibi offertur, & ab eo, qui Tuus eſt, Tibi offertur; ſiquidem Tu, Beatiſſime Pater, has aquas de Tuo nomine FELICES viceſimo ab Vrbe lapide conceptas, in editos atque præcelſos illius colles Tuis ſumptibus deduxiſti; amœniſſimos, & magnificentiſſimos fontes paſſim exſtruxiſti, quibus pleraque Vrbis loca è peſtilentibus ſalubria, culta ex incultis, ex horridis amœna, feracia è ſterilibus, è deſertis celebria, è vaſtis coædificata reddidiſti. Quàm autem Tuus ipſe ſim, vel ex eo apparet manifeſtè, quòd Tu præter meam, & omnium expectationem Tua ſponte, Tuóque iudicio in familiam adſciuiſti me Tuam, & in eum familiæ locum, quem Primates ambiunt obtinere. Ego verò quid prius, aut antiquius habeam, quàm ſummo Pontifici deſeruire, & SIXTO V. ſummo Pontifici, cuius commemoratio nomine oboritur audientis animo abſolutiſſimum

Iuſtitiæ & pietatis exemplar? Acſi per Romanorum leges, quod Tuum eſt, ampliùs Tuum fieri poſſit, Tibi, qua poſſum animi ſubmisſione, meipſe vnà cum his AQVIS FELICIBVS do, dico, addico, Deum immortalem precaturus adſiduè, vt Orbi Chriſtiano Pontificem Italiæ Principem, Romæ partem, & mihi Te Mecænatem diutiſſimè conſeruet, quò ſolicitudine, iuſtitia, caritate, ac munificentia Tua perfruamur omnes. Ex Vrbe, veſperi Feraliorum. CIↃ. IↃ. XIIIC.

AQVÆ FELICES.

ODE I.

NON hîc ſuperbo carmine languidum
Irrito Martem, bella nec infremo
Aduersùs audaces Britannos,
Aut rigidum Solimæ Tyrannum.
Nondùm Maronis verſibus ordior
Laborioſos SIXTIADIS libros,
Necdùm triumphos præpotentis
Pontificis cano glorioſos.
Sed frigidorum margine fontium
Latè recumbens canto nouas aquas,
Queis vniuerſi paſtor Orbis
Romuleam decorauit Vrbem.
Audin' ſuſurris ſomniferis aquas
Submurmurantes? facta videlicet
Submurmurant, laudeſque SIXTI,
Nec ſtrepitum cohibere poſſunt.
Natura mutis inuida fontibus
Vocem negauit, murmura ſed dedit:
Et murmurat fons, quæ diſerta
Voce loqui prohibetur ipſe.
At nos, canoram compoſuit quibus
Natura vocem, facta celebria,
Laudéſque SIXTI ſubticemus,
Et volumus cohibere vocem?

Rumpenda nobis alta ſilentia,
Fontes canendi carmine ruſtico,
Inflanda nobis eſt arundo,
Et calamo labra ſunt terenda.
Sat perfidorum ſanguine profluo
Scribemus olim caſtra natantia:
Scribamus hortos, atque colles
Fontibus irriguis madentes.
Euterpe amicam da mihi tibiam,
Donabit olim Calliope tubas:
Dicturus Æneæ labores
Rura priùs cecinit Poëta.

ODE II.

Mecænas rutilo ſidere clarior,
Terris purpureum quod reuehit diem,
Muſarum columen, lumen & artium,
O & præſidium meum,
Intermitte tuas ſolicitudines,
Curarum remoue triſtia nubila,
Necnon è vigili pectore deſine
Tot ſuſpiria ducere.
Non ſemper roſeum per ſuperas vias
Currus quadrijugus raptat Apollinem,
Sed qui flammiuomis gaudet equis pater,
Idem gaudet aquis libens.
Sic tu, qui radiis omnia lucidis
Colluſtras, noua nunc flumina, nunc nouos
Fontes reſpicias, ne ve opifex tuum
Clarum deſpicias opus.
En vt lenè fluit riuus amabilis
Incinctus tenero ceſpite marginem?
En vt perſpicuæ ſubſiliunt aquæ,

Quas dat plumbea fiſtula?
En quouis fluuius lucidior vitro
Collem conſpicuum marmoreis equis,
Necnon Exquilias irrigat aridas,
Et ſiccos rigat Hortulos?
Ramoſi frutices, frugiferæ pyri,
Florentes cytiſi, candida lilia,
Pallentes violæ, purpureæ roſæ
Illis aruerant locis.
Nunc creſcunt riguis fontibus vuidi
Ramoſi frutices, frugiferæ pyri,
Florentes cytiſi, candida lilia,
Pallentes violæ, & roſæ.
Et qua parte ſui vix habitabilis
Defectu fluuij Româ priùs fuit,
Per te facta fuit nunc habitabilis
Vndæ flumine ductili.
Per te Roma nouos continet incolas,
Romam municipes vndique confluunt,
Omnéſque eximium cernere geſtiunt
Summi Pontificis decus.
Creſcens inque dies ciuibus exteris
Fines Roma potens tranſgreditur ſuos:
Romam Roma vetus nec recipit nouam
Sub SIXTI *moderamine.*
Germanos, Italos, Æthiopes, Getas,
Gallos, Heſperios, Graijugenas habet:
Vox diuerſa ſonat, vox eadem tamen,
Cùm laudes recinunt tuas.

ODE III.

Orphea antiqui Geticum Poëtæ
Laudibus miris ſuper aſtra tollunt,

Flu-

Fluminis doctum rapidos canendo
Siſtere lapſus.
Hinc ei laudem tribuunt & amplam,
Quòd loco cautes proprio reuulſas
Arte materna traheret ſequaces,
Quò ſibi viſum.
Sed noui SIXTVM *celebrant Poëtæ,*
Quòd loco amotos lapides remoto
In forum traxit medium, Crucèmque
Ferre coëgit:
Quòdque deuectam populo Quirini
Saxeam molem Pharijs ab oris
Ad fores templi iubet Exquilina
Valle locari:
Quòd modò binos Obelos aperto
Inuehi Cælo iubet arte mira,
Maximi Circi grauibus ſepultos
Antè ruinis:
Quòd nouos fontes procul hinc petitos
In Quirinalis iuga montis, inque
Hortulos ipſos, & in Exquilinum
Fornice ducit.
Mira Phœbæus (neque diffitebor)
Præſtitit Vates, remorans rapaces
Fluminis curſus, liquidos recuruans
In caput amnes.
Sed mihi SIXTVS *magè mira præſtat,*
Mira quæ Vati Getico fuiſſent,
Dum loco riuos humili petitos
Cogit in altum.

ECLOGA.

INTERLOCVTORES

Mopſus, Tityrus.

MOPS. *Tityre, dum meta ex æquo Sol diſtat vtraque,*
Et medium Cæli conſcendit feruidus orbem,
Felices ſubeamus aquas, & margine fontis
Corpora proiecti frigus captemus opacum.
Formoſa hic viridi moleſcit ceſpite tellus,
Hic Zephyrus ſpirans æſtiuos temperat æſtus.
Dumque peruſta ſonant raucis arbuſta cicadis,
Verſibus alternis hic demulcebimus auras,
Fontiſque auctori meritos reddemus honores:
Grex meus intereà platani requieſcet in vmbra.
TIT. *Mopſe ſequor quocunque vocas, neque ſarcina multum*
Me grauat, & collo mihi perula pendet inanis.
Non mihi grex vllus, ſed nec mihi cura peculi:
Prata colo, & ſyluas, nec ſum niſi nomine paſtor,
Ni paſtor ſit, ſpes animo qui paſcit inanes.
MOPS. *Mira refers: an degis inops? an viuis egenus,*
Carmina cui mellita fluunt tam diuite vena,
Quæ Domini doctas poſſunt remorarier aures?
Tu calamos inflas, tu patria primus in arua,
Subrufis Tarnus quæ turbidus alluit vndis,
Pierio ſanctas duxiſti è vertice Muſas,
Tu notus ſyluis, tu notus Montibus Altis,
Tu notus pratis, & amat tua carmina FELIX,
Teque amplis ornat titulis. Et viuis egenus?

TIT. *Mopſe (fatebor enim) magnos dat carmen honores,*
Sed nullas largitur opes: ſi vixero pauper,
Quid mihi fama facit? vel quid memorabile nomen?
Fama foris, nomenque domi, ſed degit egeſtas.
MOPS. *Carmine ſi ſyluæ, montes & ſaxa trahuntur,*
Tityre diuitias cur non & carmine ducis?
TIT. *Carminibus vis magna; trahunt nam carmina ſyluas,*
Atque locis propriis immania ſaxa reuellunt,
Stantia concutiunt, concuſſàque flumina ſiſtunt,
Sæpe ſuos Tibris requieuit carmine curſus.
Carmina & è Cælo depellunt nubila, verùm
Carmina pauperiem nondùm depellere poſſunt.
Victrix pauperies de Muſis vna triumphat.
MOPS. *Sed nunquid diues Dominus tibi, Tityre,* FELIX,
FELIX *paſtorum ſummus, ditiſſimus agri,*
Cui multæ pecudes Italis in montibus errant,
Cuius ſunt ſyluæ, cui pinguia ouilia ſubſunt?
Ille agros dabit, ille pedum, pecudeſque regendas.
TIT. *Hæc, & plura poteſt. Sed iam ſucceſſimus ipſis*
Fontibus, ergo prior tua carmina concine, Mopſe:
Tu maior, tibi cedo, locum tibi deſero primum.
MOPS. *Vt ſæpe Autumni præuertit tempora pomum,*
Sic ſæpe ingenium præcox præuertitur annos:
Incipe, quandoquidem ingenio tibi, Tityre, cedo.
TIT. *Plerique à minimis ſua ſæpe exordia ducunt,*
Sic minor incipiam, tu maior deinde ſequeris.
Antè Quirinalis ſitiebant culmina montis,
Flos priùs in pratis, fructúſque arebat in hortis,
Et riguæ deerant Romanis vallibus vndæ.
Fons pecori deerat: procul hinc ad flumina potum
Paſtor agebat oues viridantia gramina paſtas.
Sed paſtor FELIX, *quo non felicior alter,*

Solicitus pecoris, fontes conſtruxit amœnos,
Irriguas ſuffecit aquas ſitientibus hortis,
Vallibus, & pratis, atque altæ montibus Vrbis.
MOPS. *Felices igitur montes, felicia prata,*
Felices horti, felices denique valles.
Montibus in ſummis abies dum creſcet, in hortis
Pinus, & in pratis iuglans, in vallibus ilex,
Inſignes etiam creſcent FELICIS *honores.*
TIT. *Adſpice, quàm longo ducantur fornice riui?*
Adſpice, vt iu Cælum moles ſubſtructa feratur?
Naturam ars ſuperat: fontes natura negauit
Montibus his: fontes ars montibus ipſa miniſtrat.
MOPS. *Nuda Napæa genu, nodo collecta fluentem*
Pallam, & flauentes Zephyro diffuſa capillos,
Hos circùm fontes, hæc circùm flumina ludet:
Si venient Fauni, ſubitò ſe condet in vndas.
TIT. *Impuri hinc Fauni, Panes, Satyrique faceſſant,*
Virgineus fons eſt: vultis quicunque venire,
Vt puris manibus, pura ſic mente venite,
Purum animum, puraſque manus nam diligit Auctor.
MOPS. *Humano ſi quis fædauit ſanguine dextram,*
Ille ſacrum manibus fugiat contingere fontem,
Impuris puras manibus ne polluat vndas,
Sylueſtrem hîc potiùs meditetur arundine Muſam
Innocuus paſtor molli proiectus in herba,
Atque ſuo cantu ſuperet leue murmur aquarum.
TIT. *Hùc pecudes paſtor viridi compellat hibiſco,*
Seu rutilo Phœbus ſpargit dum lumine mundum,
Seu fuſcis terras dum nox amplectitur alis:
Nocte etiam media paſtor nunc tutus in aruis.
MOPS. *Si iuuat infandum fando renouare dolorem,*
Hei mihi! rura priùs quot plena fuere periclis?

Nocte ſuper media predo rumpebat ouile,
Et clauſas rapiebat oues latrante Lyciſca,
Subiectiſque caſas facibus plerumque cremabat.
Vincebant noctis tenebras incendia tanta:
Nocturna altiuolæ complebant aſtra fauillæ,
Non aliter, quàm cùm tenebroſæ tempore noctis
Agricolæ ſtipulas flammis crepitantibus vrunt.
Si quis erat nobis frumenti pauper aceruus,
Si qua repoſta cado Baccheia dona rubenti,
Si qua focum iuxtà torto carnaria iunco
Pendebant, aut lactis erat ſi maſſa coacti,
Hæc miſeris nobis infeſtus prædo ferebat.
Sæpe etiam multo contuſos verbere liquit
Semianimes, duris liuebant ictibus artus.
Adſpice longinquam hanc fagum, quæ iuncta videtur
Eſſe viæ, hîc olim paſtorem Alcona peremptum
Vidi oculis madidis, & adhuc certiſſima cædis
Signa dat effuſo conſperſus ſanguine truncus.
Venales Alcon fructus portabat in Vrbem,
Et vellus lanæ, & querno lac vimine preſſum:
Ecce ſuperuenit prædo, lac, vellera, fructus
Abſtulit, & miſerum Alconem ſpoliauit auarus.
Sed nec tam turpi contentus prædo rapina
Obuia crudeli transfixit pectora ferro.
Hinc Vrbem petere, atque hæc dulcia linquere rura
Debuimus, ſed nullus erat ſecurus in Vrbe.
Innumeras cædes, incendia, furta, rapinas
Vrbs patiebatur, tota prædo Vrbe furebat.
Nunc per FELICEM *redeunt Saturnia regna,*
Aurea nunc ſurgit, nunc ferrea deſinit ætas.
Nos modò felices in apertis viuimus aruis,
Nos modò ſecuri ſyluas luſtramus, & antra:

FELIX PERRETVS DE MONTE ALTO.
VEL PONTIFEX DETERRET MALOS.
Iambicum trimetrum.

Artes fuerunt Ciuitatis Romulæ
Perdere rebelles, ſubditis ignoſcere:
Iſtis & Orbem Roma rexit artibus,
Ac imperatrix gentibus leges dedit.
Et nunc eaſdem Pontifex artes tenet
SIXTVS: per illas imperat feliciter
Et Vrbi, & Orbi. Recreat bonos bonus,
VEL PONTIFEX à fraude DETERRET MALOS.

FELIX PERRETVS.
PERFERIT EXVLES.

Aſclepiadeum.

Purgauit Latium maximus Hercules
Monſtris horrificis, atque latronibus:
Claua roborea contudit exulem
Prædonem hîc vbi ſunt ſaxa Lacinia:
Romani latebra montis in abdita
Cacum magnanimus perdidit impium.
Nunc SIXTVS domitos, alter vt Hercules.
Non ſolùm ferit, at PERFERIT EXVLES.

SIXTVS

SIXTVS QVINTVS DE MONTE ALTO.
MVNDO SOLVS EXTAT INQVIETVS.

Hendecaſyllabum

Felix, qui regitur Monarcha ab vno,
Mundus: ſed vigili eſt opus Monarcha,
Et qui centoculi ſit inſtar Argi,
Qui nunquam requieſcat. Ecce SIXTVS
Mundi ſolus honos, Monarcha ſolus
Mundum quàm bene ſolus adminiſtrat,
*M*VNDO SOLVS ENIM INQVIETVS EXTAT,

Senarium.

Mundo quietem principis gignit labor,
Omnes quietos reddere vt mundo queat,
*M*VNDO INQVIETVS SOLVS EXTAT *P*ONTIFEX,

SIXTVS V. DE MONTE ALTO

TANTOS EXVLES DOMVIT.

Saphicum.

GENS potens armis, inimica pacis
Fuſo inundabat Latium cruore,
Et dabat rubris abolenda flammis
Tecta ſuperba.
Corde ducebat gemitus ab imo,
Et genas fuſis lacrumis rigabat,
Exules cernens equitare multos
Itala tellus.
Itala ô tellus cohibe dolorem,
Siſte ſub SIXTO *lacrumas obortas,*
Ecce Saturni rediêre tandem
Aurea ſecla.
Dic Io Pæan, age nunc triumphos
Delphica crines redimita frondes,
EXVLES TANTOS DOMVIT PERETI
Ferrea virga.

SIXTO QVINTO
PONT. OPT. MAX.
MECÆNATI SVO,

GVILIELMVS DV BLANC
ſuæ Sanctitatis Camerarius intimus.

DVO ſunt, quibus regalis animus, & ingenium generoſum elucet, datio, & acceptio; ſed vt in dando maiorem aliquam beatitatem ineſſe concedam, cùm ille, cuius in terris perſonam ſuſtines, Beatiſſime Pater, oraculum illud ediderit, beatius eſſe dare, quàm accipere, non minorem tamen in accipiendo, quàm in dando animi excelſitatem exiſtimo apparere. Præclarè Titus Imperator eum diem, quo non aliquid donaſſet, periiſſe ſibi, ſed præclariùs Rex Perſarum Artaxerxes, non eſſe minùs regium parua accipere, quàm donare magna, dictitabat. Hoc enim ab rerum vbertate, & felicitate; illud à virtute, & humanitate omninò dependet: hoc neque in omnes præſtatur, neque ſemper præſtatur, & ſi ſæpiùs præſtetur, eueniet vt iam ampliùs præſtari non poſſit; illud verò & in omnes, & omni tempore poteſt exerceri. Dant plerunque Principes, non tam vt aliis benefaciant, quàm vt facultates, & copias ſuas oſtentent: veluti cùm in populum ſpargunt miſſilia, quæ ipſi habent

pro dere'icto: ſed parua cùm accipiunt, neque illa deſpicatui habent, vt ob exilitatem muneris in auaritiæ ſuſpicionem venire non poſſunt, ita facilitatem oſtendunt ſuam, quæ virtus vna eſt Principum maximè propria. Quam ego in Te cùm anteà ſepiùs expertus fuerim, SIXTE PONTIFEX, quod Tibi ſuperioribus menſibus munuſculum concinnaui, Beatitudini Tuæ ſuppliciter nunc offero, ſperans fore, vt quemadmodùm idem ille Artaxerxes aquam è riuo proximo manibus hauſtam, ſibique ab operario oblatam non recuſauit, ita Tu has meas, immò veriùs Tuas AQVAS FELICES tranquilla, & ſerena fronte ſuſpicias, neque Tuæ illius inexhauſtæ benignitatis fontes, qui mihi ſemper anteà patuerunt, clauſos nunc eſſe patiaris. Tuum eſt, quod Tibi offertur, & ab eo, qui Tuus eſt, Tibi offertur; ſiquidem Tu, Beatiſſime Pater, has aquas de Tuo nomine FELICES viceſimo ab Vrbe lapide conceptas, in editos atque præcelſos illius colles Tuis ſumptibus deduxiſti; amœniſſimos, & magnificentiſſimos fontes paſſim exſtruxiſti, quibus pleraque Vrbis loca è peſtilentibus ſalubria, culta ex incultis, ex horridis amœna, feracia è ſterilibus, è deſertis celebria, è vaſtis coædificata reddidiſti. Quàm autem Tuus ipſe ſim, vel ex eo apparet manifeſtè, quòd Tu præter meam, & omnium expectationem Tua ſponte, Tuóque iudicio in familiam adſciuiſti me Tuam, & in eum familiæ locum, quem Primates ambiunt obtinere. Ego verò quid prius, aut antiquius habeam, quàm ſummo Pontifici deſeruire, & SIXTO V. ſummo Pontifici, cuius commemoratio nomine oboritur audientis animo abſolutiſſimum

Iuſtitiæ & pietatis exemplar? Ac ſi per Romanorum leges, quod Tuum eſt, ampliùs Tuum fieri poſſit, Tibi, qua poſſum animi ſubmiſſione, meipſe vnà cum his AQVIS FELICIBVS do, dico, addico, Deum immortalem precaturus adſiduè, vt Orbi Chriſtiano Pontificem Italiæ Principem, Romæ partem, & mihi Te Mecænatem diutiſſimè conſeruet, quò ſolicitudine, iuſtitia, caritate, ac munificentia Tua perfruamur omnes. Ex Vrbe, veſperi Feraliorum. CIϽ. IϽ. XIIIC.

AQVÆ FELICES.

ODE I.

NON hic ſuperbo carmine languidum
Irrito Martem, bella nec infremo
Aduersùs audaces Britannos,
Aut rigidum Solimæ Tyrannum,
Nondùm Maronis verſibus ordior
Laborioſos SIXTIADIS libros,
Necdùm triumphos præpotentis
Pontificis cano glorioſos.
Sed frigidorum margine fontium
Latè recumbens canto nouas aquas,
Queis vniuerſi paſtor Orbis
Romuleam decorauit Vrbem.
Audin' ſuſurris ſomniferis aquas
Submurmurantes? facta videlicet
Submurmurant, laudeſque SIXTI,
Nec ſtrepitum cohibere poſſunt.
Natura mutis inuida fontibus
Vocem negauit, murmura ſed dedit:
Et murmurat fons, quæ diſerta
Voce loqui prohibetur ipſe.
At nos, canoram compoſuit quibus
Natura vocem, facta celebria,
Laudéſque SIXTI ſubticemus,
Et volumus cohibere vocem?

Rumpenda nobis alta ſilentia,
Fontes canendi carmine ruſtico,
Inflanda nobis eſt arundo,
Et calamo labra ſunt terenda.
Sat perfidorum ſanguine profluo
Scribemus olim caſtra natantia:
Scribamus hortos, atque colles
Fontibus irriguis madentes.
Euterpe amicam da mihi tibiam,
Donabit olim Calliope tubas:
Dicturus Æneæ labores
Rura priùs cecinit Poëta.

ODE II.

Mecænas rutilo ſidere clarior,
Terris purpureum quod reuehit diem,
Muſarum columen, lumen & artium,
O & præſidium meum,
Intermitte tuas ſolicitudines,
Curarum remoue triſtia nubila,
Necnon è vigili pectore deſine
Tot ſuſpiria ducere.
Non ſemper roſeum per ſuperas vias
Currus quadriiugus raptat Apollinem,
Sed qui flammiuomis gaudet equis pater,
Idem gaudet aquis libens.
Sic tū, qui radiis omnia lucidis
Colluſtras, noua nunc flumina, nunc nouos
Fontes reſpicias, ne ve opifex tuum
Clarum deſpicias opus.
En vt lenè fluit riuus amabilis
Incinctus tenero ceſpite marginem?
En vt perſpicuæ ſubſiliunt aquæ,

Quas dat plumbea fiſtula?
En quouis fluuius lucidior vitro
Collem conſpicuum marmoreis equis,
Necnon Exquilias irrigat aridas,
Et ſiccos rigat Hortulos?
Ramoſi frutices, frugiferæ pyri,
Florentes cytiſi, candida lilia,
Pallentes violæ, purpureæ roſæ
Illis aruerant locis.
Nunc creſcunt riguis fontibus vuidi
Ramoſi frutices, frugiferæ pyri,
Florentes cytiſi, candida lilia,
Pallentes violæ, & roſæ.
Et qua parte ſui vix habitabilis
Defectu fluuij Roma priùs fuit,
Per te facta fuit nunc habitabilis
Vndæ flumine ductili.
Per te Roma nouos continet incolas,
Romam municipes vndique confluunt,
Omnéſque eximium cernere geſtiunt
Summi Pontificis decus.
Creſcens inque dies ciuibus exteris
Fines Roma potens tranſgreditur ſuos:
Romam Roma vetus nec recipit nouam
Sub SIXTI *moderamine.*
Germanos, Italos, Æthiopes, Getas,
Gallos, Heſperios, Graijugenas habet:
Vox diuerſa ſonat, vox eadem tamen,
Cùm laudes recinunt tuas.

ODE III.

Orphea antiqui Geticum Poëtæ
Laudibus miris ſuper aſtra tollunt,

Flu-

Fluminis doctum rapidos canendo
Siſtere lapſus.
Hinc ei laudem tribuunt & amplam,
Quòd loco cautes proprio reuulſas
Arte materna traheret ſequaces,
Quò ſibi viſum.
Sed noui SIXTVM *celebrant Poëtæ,*
Quòd loco amotos lapides remoto
In forum traxit medium, Crucèmque
Ferre coëgit:
Quòdque deuectam populo Quirini
Saxeam molem Pharijs ab oris
Ad fores templi iubet Exquilina
Valle locari:
Quòd modò binos Obelos aperto
Inuehi Cælo iubet arte mira,
Maximi Circi grauibus ſepultos
Antè ruinis:
Quòd nouos fontes procul hinc petitos
In Quirinalis iuga montis, inque
Hortulos ipſos, & in Exquilinum
Fornice ducit.
Mira Phœbæus (neque diffitebor)
Præſtitit Vates, remorans rapaces
Fluminis curſus, liquidos recuruans
In caput amnes.
Sed mihi SIXTVS *magè mira præſtat,*
Mira quæ Vati Getico fuiſſent,
Dum loco riuos humili petitos
Cogit in altum.

ECLOGA.

INTERLOCVTORES

Mopſus, Tityrus.

MOPS. *Tityre, dum meta ex æquo Sol diſtat vtraque,*
Et medium Cæli conſcendit feruidus orbem,
Felices ſubeamus aquas, & margine fontis
Corpora proiecti frigus captemus opacum.
Formoſa hic viridi moleſcit ceſpite tellus,
Hic Zephyrus ſpirans æſtiuos temperat æſtus.
Dumque peruſta ſonant raucis arbuſta cicadis,
Verſibus alternis hic demulcebimus auras,
Fontiſque auctori meritos reddemus honores:
Grex meus intereà platani requieſcet in vmbra.
TIT. *Mopſe ſequor quocunque vocas, neque ſarcina multum*
Me grauat, & collo mihi perula pendet inanis.
Non mihi grex vllus, ſed nec mihi cura peculi:
Prata colo, & ſyluas, nec ſum niſi nomine paſtor,
Ni paſtor ſit, ſpes animo qui paſcit inanes.
MOPS. *Mira refers: an degis inops? an viuis egenus,*
Carmina cui mellita fluunt tam diuite vena,
Quæ Domini doctas poſſunt remorarier aures?
Tu calamos inflas, tu patria primus in arua,
Subrufis Tarnus quæ turbidus alluit vndis,
Pierio ſanctas duxiſti è vertice Muſas,
Tu notus ſyluis, tu notus Montibus Altis,
Tu notus pratis, & amat tua carmina FELIX,
Teque amplis ornat titulis. Et viuis egenus?

Tit. *Mopſe (fatebor enim) magnos dat carmen honores,*
Sed nullas largitur opes: ſi vixero pauper,
Quid mihi fama facit? vel quid memorabile nomen?
Fama foris, nomenque domi, ſed degit egeſtas.
Mops. *Carmine ſi ſyluæ, montes & ſaxa trahuntur,*
Tityre diuitias cur non & carmine ducis?
Tit. *Carminibus vis magna; trahunt nam carmina ſyluas,*
Atque locis propriis immania ſaxa reuellunt,
Stantia concutiunt, concuſſàque flumina ſiſtunt,
Sæpe ſuos Tibris requieuit carmine curſus.
Carmina & è Cælo depellunt nubila, verùm
Carmina pauperiem nondùm depellere poſſunt.
Victrix pauperies de Muſis vna triumphat.
Mops. *Sed nunquid diues Dominus tibi, Tityre,* Felix,
Felix *paſtorum ſummus, ditiſſimus agri,*
Cui multæ pecudes Italis in montibus errant,
Cuius ſunt ſyluæ, cui pinguia ouilia ſubſunt?
Ille agros dabit, ille pedum, pecudeſque regendas.
Tit. *Hæc, & plura poteſt. Sed iam ſucceſſimus ipſis*
Fontibus, ergo prior tua carmina concine, Mopſe:
Tu maior, tibi cedo, locum tibi deſero primum.
Mops. *Vt ſæpe Autumni præuertit tempora pomum,*
Sic ſæpe ingenium præcox præuertitur annos:
Incipe, quandoquidem ingenio tibi, Tityre, cedo.
Tit. *Plerique à minimis ſua ſæpe exordia ducunt,*
Sic minor incipiam, tu maior deinde ſequeris.
Antè Quirinalis ſitiebant culmina montis,
Flos priùs in pratis, fructúſque arebat in hortis,
Et riguæ deerant Romanis vallibus vndæ.
Fons pecori deerat: procul hinc ad flumina potum
Paſtor agebat oues viridantia gramina paſtas.
Sed paſtor Felix, *quo non felicior alter,*

Nocte ſuper media predo rumpebat ouile,
Et clauſas rapiebat oues latrante Lyciſca,
Subiectiſque caſas facibus plerumque cremabat.
Vincebant noctis tenebras incendia tanta:
Nocturna altiuolæ complebant aſtra fauillæ,
Non aliter, quàm cùm tenebroſæ tempore noctis
Agricolæ ſtipulas flammis crepitantibus vrunt.
Si quis erat nobis frumenti pauper aceruus,
Si qua repoſta cado Baccheïa dona rubenti,
Si qua focum iuxtà torto carnaria iunco
Pendebant, aut lactis erat ſi maſſa coacti,
Hæc miſeris nobis infeſtus prædo ferebat.
Sæpe etiam multo contuſos verbere liquit
Semianimes, duris liuebant ictibus artus.
Adſpice longinquam hanc fagum, quæ iuncta videtur
Eſſe viæ, hîc olim paſtorem Alcona peremptum
Vidi oculis madidis, & adhuc certiſſima cædis
Signa dat effuſo conſperſus ſanguine truncus.
Venales Alcon fructus portabat in Vrbem,
Et vellus lanæ, & querno lac vimine preſſum:
Ecce ſuperuenit prædo, lac, vellera, fructus
Abſtulit, & miſerum Alconem ſpoliauit auarus.
Sed nec tam turpi contentus prædo rapina
Obuia crudeli transfixit pectora ferro.
Hinc Vrbem petere, atque hæc dulcia linquere rura
Debuimus, ſed nullus erat ſecurus in Vrbe.
Innumeras cædes, incendia, furta, rapinas
Vrbs patiebatur, tota prædo Vrbe furebat.
Nunc per FELICEM *redeunt Saturnia regna,*
Aurea nunc ſurgit, nunc ferrea deſinit ætas.
Nos modò felices in apertis viuimus aruis,
Nos modò ſecuri ſyluas luſtramus, & antra:

Nunc etiam tutò frigus captamus, & vmbram
Propter aquam, & gracili carmen modulamur auena.
Pacificus nobis grata hæc facit ocia Felix.
Tit. *Illum igitur meritò frondator rupe ſub alta*
Concinit, & durus fœcundis meſſor in agris,
Et quicunque colit ſyluas, ac florida prata.
Cantus ipſe meos illi, calamóſque dicaui,
Cùm primùm cœpi ſyluas, & rura tenere.
Sed neque blanda ſonos edit mihi fiſtula dulces,
Illum ni reſonet: ſimulac exordior illum
Dicere, ſponte ſua molli pede carmina currunt.
Somnia ſunt Veterum, Parnaſſo emergere fontem,
Cuius aquæ exhauſtæ doctos, celebréſque Poëtas
Efficiant: fecit me Felix vnda Poëtam.
Fons Felix mihi proſiliens è Montibus Altis,
Ille Caballinus fons eſt. Iam carminis omnis
Vena mihi aruerat, ſicut ſitientia prata
Aruerant: venas Felix *inuenit aquarum,*
Carminis inueni venas: vt fonte liquores
Lenè fluunt, mihi lenè fluunt ſic carmina Vati.
Felici *debentur aquæ, debetur arundo.*
Mops. *Tu cui naſcenti ſanctæ riſere Sorores,*
Carmina Felici *Domino donabis amata.*
Ipſe pyri ramum tremulum ſub pondere fructus
Donabo, neque fortè pyrum faſtidiet ille.
Tit. *Ipſe ego* Felicis*, peracuta cuſpide, nomen*
Incidam duro longæuæ in cortice lauri,
Felici *quoniam adridet gratiſſima laurus.*
Mops. *Tityre iam ſatis eſt: Solis iam frangitur æſtu:*
Surgendum eſt, pecoris reuocat me cura relicti.
Tit. *Et mihi cantando exuſſit ſitis arida fauces,*
Deſino plura: ſitim Felici fonte leuabo.

EPIGRAMMATA GVILIELMI DV BLANC EPISCOPI VENCIENSIS ET GRASSENSIS.

I.

VERTICE mons Siculus geminatos euomit ignes,
Sed mons Romuleus vertice fundit aquas.
Illum maiores, ſera hunc mirabitur ætas:
Naturæ illud erat, hoc erit artis opus.
Atque vt aquis gelidis ardens exſtinguitur ignis,
Monte Quirinali ſic erit Ætna minor.

II.

Non ſatis eſt vrbis moliri mœnia quemquam,
Non ſatis eſt altas ædificare domos.
Sunt etiam ſanctis fundandæ legibus vrbes,
Sunt etiam populis iura ferenda nouis.
Æternam primum ſtruxit Rex Romulus Vrbem,
Structam fundauit legibus inde Numa.
Sed velut ipſa ſuis iacet Vrbs tumulata ruinis,
Priſtina ſic Vrbis iura ſepulta iacent.
Nunc verò è tumulo rediuiuam exſuſcitat Vrbem
SIXTVS, & è tumulo mortua iura trahit.
Reſtituit delubra, vias, palatia, fontes,
Roma vt ſplendeſcat ciuibus aucta nouis.
Reſtituitque bonos mores, & priſtina iura,
Roma vt ſplendeſcat legibus aucta nouis.
Roma ſuum poſthac ne tollat in aſtra Quirinum.
Nec iam Roma ſuum tollat in aſtra Numam.

Quod duo præſtiterant diuerſo tempore Reges,
Vno vnus Princeps tempore præſtat opus.

IN LEONES, QVI IN EXQVILINO SIXTI V. PRÆTORIO IMPOSITI FONTIBVS AQVAS EVOMVNT.

III.

Quæ priùs ardenti ſitiebat terra Leone,
Arida nec tenerum parturiebat olus.
Nunc herbas æſtate parit, dum perbibit vndas,
Marmoreus patulo quas vomit ore leo,
Vt leo cæleſtis flagrantes concitat æſtus,
Æſtus terreſtris ſic leuat vſque leo.
Terreno inſedit virtus quàm magna leoni?
Qui fixa aſtrorum vertere iura poteſt.

IV.

Moïs aqua eſt olim Phario de nomine dicta:
Et Moſes ab aquæ nomine nomen habet.
Sed FELIX *alter Moſes, quam ducit in Vrbem,*
FELICEM *à proprio nomine dicit aquam.*
Priſca nouis cedant: nonne hic præſtantior illo?
Ille ab aquis cepit nomen, hic indit aquis.

V.

Temporibus certis vt Nilo Ægyptus inundat,
Roma ita Sixtiacis vſque rigatur aquis.
Tu tibi habe Cælum, pluuias Ægyptus & imbres
Non petit, & pluuias non petit iſta tuas.
Quod Cælum præſtat terris, ſi SIXTVS *& Vrbi*
Præſtat, cæleſtis nonne putandus erit?

AD

AD EVNDEM S. D. N. SIXTVM V.
cùm à Capite Aquarum Felicium rediret prid.
Non. Iunij. CIↃ. IↃ. XIIIC.

I.

OCEANO *Solem demergi Roma putauit,*
Felices quando SIXTVS *adiuit aquas.*
Et iam ſe denſa obſcuræ caligine noctis
Inuolui ſenſit Sole abeunte ſuo.
Ad te, Roma, redi, vultúſque reſume priores:
Nox breuis iſta fuit, redditur ecce dies.
Clarior ex vndis remeat nam SIXTVS *in Vrbem,*
Clarior ex vndis Phœbus vt ipſe redit.

II.

Cùm SIXTVS, *longo quod fornice ducit in Vrbem,*
Irriguæ viſit penſile flumen aquæ,
Cur ruit effuſus reſolutis nubibus imber?
Fundit & adſiduas humidus Auſter aquas?
Nempe quòd in Cælum adſcendit tua gloria, SIXTE,
Aſtráque ſunt factis æmula facta tuis.
Quin victus palmam tandem tibi cedit Olympus:
Deficiunt imbres, ſed tua iugis aqua eſt.

III.

Egypti deſerto abiens, è viſcere montis
Antiquus Moſes eliciebat aquas.
Nunc alter Moſes in ſicci culmina montis
SIXTVS *aquas Roma ducit ab Vrbe procul.*
Mágna ambo: ſed vter fecit maiora, requires?
Mons illi, hic monti ſuppeditauit aquas.

V

DE FONTE FELICI CONSTRVCTO in Palatio Regio, ab Illuſtriſſ. V. Ioanne Viuonio Marchione Piſanij, vtriuſque Ordinis Equite Torquato, & REGIS Chriſtianiſſimi Legato, cùm is à ſummo Pontifice SIXTO V. ius aquæ ducendæ impetraſſet.

I.

Quam REGVM *genitrix* CATHARINA, *& Regia coniux*
Legatis REGIS *donat habere domum,*
Sicca querebatur nullo ſe fonte foueri,
Atque illi ſolùm deficiebat aqua.
At tu, SIXTE *parens, Princeps ad munera velox,*
Das vt Legatus ducere poſſit aquam.
Qui memor accepti, quas ducit iugiter vndas,
Muneris auctori percupit eſſe ſacras.
Felicemque tuo dicit de nomine fontem,
An fonti nomen pulchrius eſſe poteſt?
Neſtoream CHRISTVS *concedat vtrique ſenectam,*
Donet vt ille diu, ducat vt iſte diu.

II.

Qui nec aquas, nec vina bibit (mirabile dictu)
Perſpicuæ fontem Marchio ſtruxit aquæ.
Nunc ſtructi fontis ſolos bibit aure ſuſurros,
Qui liquidas nunquam faucibus haurit aquas,

III.

Non ſibi, ſed reliquis natus Viuonius Heros:
Non ſibi, ſed reliquis fontem conſtruxit amœnum.

IIII.

Fons ego quos vſus preſtem, ſi fortè requiris?
Orno domum, ſordes eluo, pello ſitim.

DE TRANSLATIONE PII. V. PONTIFICIS MAXIMI, è Vaticano in Exquilinum,

EIVSDEM

EPIGRAMMATA,

AD EVNDEM S. D. N. SIXTVM V. PONT. OPT. MAX. Mecœnatem ſuum.

I.

OSSA PII *condis celebri dum,* SIXTE,
ſepulchro,
In lucem pietas prodit vt inde tua?
Mortuus en PIVS *eſt,tumulo quem,*
SIXTE, *recondis?*
Sed nullo hæc pietas eſt moritura die.

II.

Magnanimus Princeps Obeliſcum tranſtulit olim ,
Qui fixo tenuit Cæſaris oſſa globo.
Pontificis nunc oſſa PII *ſanctiſſima transfert*
Magnificum in tumulum:magnus vterque labor.
Suſtulit ille ingens Obeliſcus Cæſaris oſſa,
Oſſa PII *terras ſuſtinuêre graues*
Ergo Obelo maior PIVS *eſt,* SIXTI *Q. potentis*
Poſterior laus eſt laude priore prior.

Qui reliquos vicit, vicit ſe denique SIXTVS,
Victus & ipſe fuit, victor & ipſe fuit.

III.

*H*IC *olim iacuit naſcens de Virgine* CHRISTVS,
Nunc PIVS *hic etiam mortuus ecce iacet.*
Hæ cunæ, hic tumulus: tumulo cunabula quadrant,
Nam moriens, ſupero natus in Orbe PIVS.

IV.

*N*ON *ſolùm immenſo cumulaſti munere viuos,*
Mortuus afficitur munere, SIXTE, *tuo.*
Tam grato à Domino quid non ſperemus abundè,
Si tanto extinctos munere proſequitur?

V.

QVÆ *tibi,* SIXTE PIVS *dederat, das munera ſeruis,*
Reddis & auctori munera capta ſuo.
Das, quæ non curas reddi, cum fœnore reddis,
Gratus & in ſeruos, gratus & in dominum.

VI.

SIXTVS *in Exquilijs dum circumſtante Senatu*
Tranſlato ſoluit debita iuſta PIO,
Et ſacros feretro adſpergit de more liquores,
En etiam adſpergit fletibus ora pijs?
Porrige, Muſa, mihi phialam, dum colligo ſeruus,
Quæ Domini ex oculis mollibus vnda fluit.
Si cecini nuper, quas fornice duxit in Vrbem,
Quas oculis vndas ducit, & ipſe canam,

VII.

Quod facis ipſe aliis, nunquam tibi fecerit alter,
Si fieri poßit, ne tibi fiat idem.
Sed quoniam id cunctis faciendum eſt, Roma precatur,
Seriùs vt fiant, quæ facienda tibi.

IN MARMOREAM PII V. ſtatuam ſepulcro impoſitam.

VIII.

Suſtulerat natura PIVM *: pia Roma dolebat,*
Sed Romæ mira redditur arte PIVS.
Tu, pia Roma, PII *ſpirantes adſpice vultus,*
Adſpice, quàm ſimilis ſit PIVS *iſte* PIO?
Vnica vox deſit. Velles audire loquentem?
Adſpice, compoſito geſtit vt ore loqui?
Verùm SIXTIACI *attonitus ſplendore ſacelli*
Obriget in marmor, mutus & ora premit.

AD EVNDEM S. D. N SIXTVM V. PONT. OPT. MAX.

Centumcellis redeuntem, quo Pontificiam Claſſem à ſe inſtructam inuiſerat,

EIVSDEM EPIGRAMMATA.

I.

CVM longas SIXTVS *tuta è ſtatione triremes*
Proſpiceret velis, remigioque citas,
Relligio Romana ſuo comes addita SIXTO,
Talia vaticinans omina fauſta dedit.
Victricem aduerſo ſiſtes in littore claſſem,
Quam modò Tyrrheno littore, SIXTE, *vides.*

II.

Poſtquàm Italis victos exegit finibus hoſtes,
Et mihi adhuc reſtant æquora, SIXTVS *ait.*
Nec mora: bis quinas contexit robore puppes,
Militibus naues, nauibus arma parat.
Piratæ metuunt audito nomine SIXTI,
Et volucri libant æquora ſumma fuga.
Quò tandem pirata fugis? circumſpice: SIXTVS
Imperitat terris, imperitatque mari.
Suſpice: quin etiam diuinæ ianitor aulæ
Claudere Cælicolûm limina ſumma poteſt.

Si tibi nec pelagus, nec terra, nec aſtra pateſcunt,
Reſtabunt miſero Tartara ſola tibi.

III.

Sorte PETRVS *cùm pauper adhuc premeretur iniqua,*
Tunc piſcatori paruula cymba fuit.
Aurea nunc diues colit atria, & auſpice SIXTO
Nauibus armatis æquora tuta ſecat.
Terrenis domitis monſtris, domitiſque marinis,
Vt regis ille ſolum, ſic regit ille ſalum.

IV.

Quas priùs irriguas ſiccam deduxit in Vrbem,
Viſendi ſtudio SIXTVS *adiuit aquas.*
Sic quod ab infeſtis prædonibus vndique purgat,
Viſendi ſtudio nunc mare SIXTVS *adit.*
Grande opus vtrumque eſt: ſed tantò hoc grandius illo,
Quantò eſt irriguis plenius æquor aquis.

EIVSDEM BLANCI
EPITAPHIA GALLIÆ IN
ALOYSIVM CARDINALEM
Eſtenſem, Principem humaniſſimum, & acerrimum protectorem ſuum.

I.

CVR voluit Princeps Romæ ſua viſcera condi?
An quia viſceribus condita Roma ſuis?
Cur voluit magnum Gallis cor vt eſſet in oris?
An quoniam cordi Gallia magna fuit?
Cur voluit pulchro ſepeliri Tibure corpus?
Anne in delicijs quod ſibi Tibur erat?
Fallor: habet magnum cor Gallia magna, quòd excors
Audito patris funere facta fuit.

Viſcera Roma tenet, tam charo Principe rapto
Quòd ſua viſa ſibi viſcera Roma rapi.
Corpora Tibur habet, quòd propria corpora ſenſit
In partes ſeſe diſſociare ſuas.
Gallus, Romanus, Tiburs, cor, viſcera, corpus,
Senſêre auferri, reſtituique ſibi.

II.

Eſtenſis properæ cùm morti occumberet Heros,
Sæcula Cumææ viuere dignus anus,
Cælum animum, dixit, cor Gallia, viſcera Roma,
Tu mea Tibur habe corpora, frater opes.

III.

Qui non antè ſibi, verùm tibi Gallia vixit,
Heu! tibi nunc moritur, viuat vt inde ſibi.
Sed tibi nec moritur, ſummi nam munere patris
Protector cæli fiet in arce tuus.

IV.

Qui fuit EST *non eſt, nec erit: ſed mentior, immò*
Qui fuit EST *velut eſt, ſic quoque ſemper erit.*
Viuus in Orbe fuit, nunc eſt defunctus in aula
Empyrea, atque Dei munere ſemper erit.
Ergo EST *eſt, & erit, ſicut fuit antè: ſed illi*
Nec par eſt, nec erat, nec fuit, at nec erit.

EPI-

EPIGRAMMATA

DE STATVA ÆNEA SANCTI PETRI ſupra Columnam Cochlidem Traiani,

AB EODEM *S. D. N. PONT. MAX. COLLOCATA.*

I.

INTER *Traianum, & P*ETRVM *de Cochlide nuper*
Iudice ſub SIXTO *lis grauis orta fuit.*
Hanc ſibi præſcriptam dixit Traianus: ab illo
Præſcriptam iniuſte dixit & inde PETRVS.
Ille ſibi Dacos bello docet eſſe ſubactos:
Hic domitas gentes, & ſine Marte, docet:
Ille ſua oſtendit ſaxis inciſa trophæa:
Hic docet eſſe ſuum, quo ſita ſaxa, ſolum:
Se docet ille ſua regem bonitate colendum:
Sed Princeps PETRO *quis bonitate prior?*
Diſcuſſa cauſſa, iudex iuſtiſſimus infit,
Cochlis Traiani ſat fuit, eſto PETRI.
Atque vt quæratur domino poſſeſſio vera,
Hanc PETRVS *impoſito comprimat vſque pede.*

II.

In terram capite obuerſo ſanctiſſimus Heros
Suffigi voluit qui ſua membra Cruci,
Nunc altæ impoſitus, SIXTO *mandante, columnæ,*
Aurea conſpicuum tollit in aſtra caput.
Scilicet vt diſcant, hæc qui monumenta videbunt,
Se ſuperum ex imo ſcandere poſſe locum.

IN EFFIGIEM S. BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS, nunc primùm Romæ ad viuum expreſſam.

QVID Bonauentura eſt? lucens, ardenſque lucerna:
Lucet enim reliquis, ardet & ipſe ſimul.
Lucet doctrinâ, diuino exardet amore:
Ardet lux, ardor lucet, vtrumque manet:
Nec potis exſtingui lux, nec conſumier ardor,
Nam neque lux noctem, nec timet ardor aquas.
Hanc candelabro imponis tu, SIXTE, *lucernam:*
Sic abeunt tenebræ, ſic procul algor abit.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. FRANCISCO DEGIOIOSA

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO, Galliarum protectori, veteri patrono ſuo,

GVILIELMVS DV BLANC Epiſcopus Vencienſis, & Graſſenſis. S.

OPTIMI clientis cùm ſit, non ſolùm proſperis, & ſecundis, ſed aduerſis etiam, & afflictis rebus Patrono adeſſe, non poſſum ipſe (Patrone optime) fratrum tuorum mortem tibi, & Galliæ, immò etiam vniuerſo Chriſtiano Orbi acerbiſſimam, ſolis ipſis glorioſiſſimam non lugere, aut lugenti tibi non adeſſe. Nam cùm decimo ab hinc anno ætate propè pares, ſed fortuna longè diſpares, Toloſæ eodem tempore, eadem in ſchola, eodem plerunque ſub tecto, pietatis, & literarum ſtudia ſimul coleremus, & præuiderem ipſe tacitus ob egregiam, & præclaram indolem tuam ad quam dignitatem iam tùm electus Electenſis Epiſcopus exſpectareris, ac creſcentibus vnà cum virtute tua ornamentis tuis mea etiam in te creſceret obſeruantia; iamque euenerit, vt quemadmodùm neque ad virtutem, neque ad dignitatem tuam vlla

ferè amplius fieri poteſt acceſſio, ita neque ad meam illam obſeruantiam aliquid addi poſſit, non poteſt etiam meus iſte luctus, in quem me tuus vocat, non ſummus eſſe. Sed vereor ne Prætorio interdicto aduersùs nos agatur, ſi meum, aut tuum hunc luctum dixero, quį publicus, & communis omnium eſſe debet, vt eſt commune damnum. Vnius enim amiſſione Eccleſia Catholica propugnatorem acerrimum, Gallia lumen, & ornamentum maximum, REX miniſtrum fideliſſimum, exercitus Ducem fortiſſimum, tu fratrem cariſſimum, boni omnes præſidium certiſſimum amisêre. Verùm quemadmodùm moderatus luctus animi pietatem, ita immoderatus eiuſdem intemperantiam prodit, atque illum quidem ita ſequi debemus, vt hunc fugiamus, & ita dolore affici, vt non deficiamus. Quare, ne ad hanc alteram partem verus ille, & fraternus amor deflectere te faciat, meum hoc carmen legendum tibi offero, quod ſi nó omnem omninò abſtergebit dolorem, (neque enim tantum de illo ſperare debeo) at ſaltem aliqua conſolâtione te permulcebit. Ego interim virtute functis fratribus benè precabor, & quantò illi ocyùs de vita deceſſerunt, tantò te tardiùs deceſſurum augurabor. Ex Vrbe, prid. Cal. Decemb. CIↃ.IↃ.XIIIC.

AD

ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM

FRANCISCVM CARDINALEM DE GIOIOSA,

GVILIELMI DV BLANC EPISCOPI Vencienſis & Graſſenſis

Elegia conſolatoria.

PONE *modum lacrumis, iam tot noctéſque dieſque*
Turgidulæ lacrumis immaduêre genæ.
Mitte tuos queſtus; iam totam queſtibus Vrbem,
Atque ipſa impleſti planctibus aſtra tuis.
Deſine tot trahere ex imo ſuſpiria corde,
Ne ſimul ex imo corde trahas animam.
Nil tibi nunc lacrumæ, tibi nil ſuſpiria proſunt,
Et vanos queſtus ventus & aura ferunt.
Et lacrumæ, & queſtus, & tot ſuſpiria fratres
A tumulo poſſent ſi reuocare tuos,
Tybris inundaret lacrumis, ſuſpiria ventos
Opprimerent, queſtu contremeretque ſolum.
Hæc nihilum proſunt, quoniam quos Parca recepit,
Hos vllis precibus reddere neſcit atrox.

Plangis adhuc? largòque humectas flumine vultum?
Quid ſibi vult planctus? quid ſibi flumen aquæ?
Quònam abiit duris prudentia cognita rebus?
Quònam animus conſtans, propoſitique tenax?
Te tua relligio teneris mihi cognita ab annis,
Te tua vera fides ſic lacrumare vetant.
Tu iuſtum, fateor, trahis alto è corde dolorem,
Iuſtàque lugendi nunc tibi cauſſa datur.
Heu! fratres cecidere duo, Dux concidit Annas,
Quo priùs inuicto tot cecidere duces.
Corruit heu! regni columen, bellique coruſcum
Fulmen, totius præſidiùmque plagæ.
Concidit heu! fidei vindex acerrimus ille,
Tam benè diuinæ relligionis amans.
Ecquis erit, qui non in queſtus ora reſoluat?
Ecquis erit, qui non proluat imbre genas?
Jlle ego, magnificis modò qui ſolatia verbis
Præbebam, ah! luctu vincor & ipſe tuo.
Ecce cadunt lacrumæ mihi nunc in ſingula verba,
Ecce mea infelix obſtruit ora dolor.
Hei! loquar! vt mediis vox languida faucibus hæret?
Quin tandem erumpet queſtus in aſtra meus.
Hei mihi! vt occubuit letho memorabilis Heros?
Hei mihi! quàm triſti cæde peremptus obit?
Quis feret adflicto mihi nunc ſolamina, ſi quod
Solamen tantus poſſit habere dolor.
Sed quid ego imprudens quæro ſolatia ſolus?
Vnius ob cædem Gallia tota gemit.
Gallia tota gemit paſſos laniata capillos,
Vnguibus & teneras dilacerata genas.
REX luget lacrumis oculos perfuſus obortis,
Nec ficto vultu ſpem ſimulare poteſt.

Maximus indoluit SIXTVS, *cui Gallia curæ,*
Optimus indoluit pignora cæſa parens.
Purpurei doluêre Patres, gemuêre Quirites,
Nec ſolum tangit te pius iſte dolor.
„*Iuſtorum cædem iuſtos lugere neceſſe eſt,*
„ *Verùm aliquem par eſt luctibus eſſe modum.*
Tandem igitur, Franciſce, tuas depone querelas:
Vnde tibi tantus prouenit iſte dolor?
Fratrem habui, dices, quem mors mihi ſæua peremit?
Eſt tibi nunc frater, qui tibi frater erat.
Antè erat in regno? nunc illum Regia Cæli
Poßidet: eſt, alio ſit licet ipſe loco.
REGI *gratus erat? Cæleſti gratus & ille*
Regi. Pollebat? Pollet & ille magis.
Sed magno fratrem fueram complexus amore?
„ *Non perit immiti morte ſuperſtes amor.*
Mortuus ergo ille eſt? Quin viuit. Viuit? Et immò
Sic viuit, nunquam poßit vt inde mori.
Sed fratres caſus mihi binos abſtulit vnus,
Vt modò lugenti ſit mihi cauſſa duplex!
Quid faceres, ſi cæde parens periiſſet eadem?
Iactura hoc lucrum tu minus eſſe putas?
Sed fratres cecidere duo! Scis, inclyte Præſul,
Vt cecidiſſe duos, ſic ſupereſſe duos,
Sed cecidit victus frater fortißimus Annas!
Ex illo hoſtis atrox, vnde triumphet, habet.
An cecidit victus, toties qui vicit? ab hoſte
Qui toties domito clara trophæa tulit?
Martyrij palmam obtinuit, ſi Martyr habetur,
Qui vult pro vera relligione mori.
Sed frater noctu ante oculos mæſtißimus Annas
Sæpiùs in ſomnis viſus adeſſe mihi!

Proh dolor! adſpexi concretos ſanguine crines,
Adſpexi hoſtili vulnera facta manu!
Annas qualis erat? quantùm mutatus ab Anna?
Heu! præ vulneribus vix mihi notus erat!
Quid gemis? adſpicias pendentem in ſtipite CHRISTVM,
Hoſtili adſpicias vulnera facta manu.
Adſpicias CHRISTI *laceros crudeliter artus,*
Sentibus adſpicias tempora cincta feris.
Tanta etiam pro fratre tuo perpeſſus IESVS,
Pro CHRISTO *frater debuit ergo pati.*
Debuit ille pati, quoniam perpeſſus IESVS.
Sed rapuit fratres mors inopina duos.
Anne immortales tibi fratres eſſe putabas?
„ *Prudenti nunquam mors inopina venit.*
Bello aderant, præerantque ſimul: qui caſtra ſequuntur,
Hos neſcis quouis tempore poſſe mori?
Num ſoli fratres cecidere? cadentibus illis
Marte etiam aduerſo tot cecidere viri.
„*Omnis pugna anceps. Et ego ſub Principe* SIXTO,
Cùm volet in Turcas aſpera bella geri,
Fortè cadam, medios ferro irrupturus in hoſtes,
Et maria vndabunt ſanguine tincta meo.
Non debet fratrum noua mors, Franciſce, videri:
Res vetus eſt aliis, quæ tibi viſa noua.
Exſtincti fratres: & tu moriere: nec vllum
A morte immunem fecit in Orbe Deus.
Deſine continuis Cælum vexare querelis:
„ *Longa dies luctum, triſtitiamque leuat.*
Ergo tuos abigat tua nunc prudentia luctus,
Quod faciet, niſi tu feceris, ipſa dies.

EPITA-

EPITAPHIA IN EVNDEM.

I.

Magnificos ageret cùm victo ex hoſte triumphos,
Iamque Annas nomen ferret in aſtra ſuum,
Inuidiam Martis mouit, ne fortè triumphos
Victo è Marte ſibi quæreret ille nouos.
Annas Marte cadit, ne Mars tandem occidat Anna,
Quid loquor? immò Anna Mars pereunte perit.

II.

Scis tibi nunc perijſſe Parem: ſed, Gallia, neſcis
Anne Pari poſthâc ſis paritura parem.

GVILIELMI DV BLANC,

EPISCOPI GRASSENSIS ET VENCIENSIS EPIGRAMMATA *Varia.*

IN IESV CHRISTI CRVCEM Partim ex malo compactam.

PErdiderat noſtrum quondam genus Eua, ſalutem
Reſtituit ſuperi numinis alma parens.
Horto in pomifero crimen committit Adamus,
Abdita quo celſæ clauſtra fuêre domus.
Aſt in Oliuifero crimen Deus expiat horto,
Panditur & cœli ianua clauſa prius.
Morte ſed æterna noſtrum vt damnauerat atrox
Pomifera latitans arbore Pluto genus:
Arbore ſic cœli Rector ſuſpenſus eádem,
Æternæ vitæ gaudia ſumma refert.
In nos ætherei quanta eſt clementia patris,
Mors mala ſub malo, & vita repoſta latet.

IN LAVDEM SANCTÆ CRVCIS.

Qui cupit aduerſas crudeli marte Phalanges
Perdere, & ad ſtygij trudere regna Iouis,
Non tegat indomitum clypeo ſeptemplice pectus,

Caſside corrutilans nec premat ille caput.
Agmine nec cinctus numeroſo irrumpat in hoſtes,
Seu vibret audaci tela cruenta manu.
Verùm diuino præpollens numine fronti
Quadrifidæ effingat ſigna ſuperba crucis.
Hoc crucis illuſtri munitus pectora ſigno,
Cum rabido ſæuas conſerat hoſte manus.
Extemplo hoſtiles potis eſt eludere turmas,
Sternere & aduerſos caſtra per ampla duces.
Quique cupit ratibus campos ſulcare liquentes,
Et dare fœlici candida vela Noto.
Dùm ratis in ſcopulos ruit acta furentibus Euris,
Ima-ve dum præceps in freta mittit onus.
Nullis Pollucem precibus, vel Caſtora tentet,
Nec litet æquoreo fumida vota Deo.
Si cruce ſe ſignet, precibus flectatque Tonantem,
Non ruet in ſcopulos præcipitata ratis.
Tu quoque Tartareæ bellum quicunque cohorti
Indicis, pauido diſcute corde metum.
Non te immunda caro, ſtygius non polluet hoſtis,
Feceris excelſæ ſi pia ſigna crucis.
Ergò agite ô iuuenes, vos & quibus inficit albo
Imbellis tremulum crine ſenecta caput.
Hùc properate gradum, vos hùc contendite greſſum,
Et date conuexo poplite vota Cruci.
Sternite humum violis, contexite frondibus aram,
Mittite in accenſos thura Sabæa focos.
Quique Deum ſupplex recolat, proniſque ſalutet
Vultibus, arboreæ lucida ſigna crucis.
Qui cruce munitur, nullo cruciabitur igne,
Cùm veniet rapido mors inopina gradu.
Qui cruce ſignatur non morte peribit: in illa
Cùm moriens vita mors moriente ruat.

PER-ILLVSTRI VITÆ QVE INTEGERRIMO DOMINO D. DVRANTIO PROTO-præſidi Tholoſano, ſuoque Auunculo colendiſſimo.

GVILIELMVS DV BLANC EPISCOPVS Graſſenſis & Vencienſis

D. D. D.

TV pater es patriæ, patriam de faucibus hoſtis
Eripis aduerſi, conſilioque iuuas.
Te ſine corrueret quidquid præclara Tholoſa
Sidera ſublimi vertice in alta trahit.
Tu patriæ columen, multis tibi tota tenetur
Patria nominibus, nec dare digna poteſt.
Quod loquor heu! demens! fas ſit mihi vera fateri
Quid tibi perſoluat non habet arca Iouis.
Ergo tui indignum munus tibi defero, verùm
Mens tibi cum paruo munere munus erit.

IN QVENDAM Epigramma.

Bartolus aut ſaltem Iuriſconſultus haberi
Expetis, & nodos ſoluere Iuris aues.
Tu tractas elementa quidem pericula, num tu
Cùm dicas ba,ba, Bartolus eſſe potes.

AD IVLIVM.

Noſtra vbi ab exortu placidis ſpirantibus Euris,
Auſa eſt in medio ludere Cymba mari.
In freta præcipitem ne me daret ima verebar
In ſcopulum aduerſi flatibus acta Noti.
Rupis inacceſſæ manibus faſtigia prenſo
Dulcis vbi nitidis fons ſaliebat aquis.
Pierios illic riuos trepidare putabam
Illic Aonides rebar adeſſe deas.
At ferus hic vaſto rex murmurat Æolus antro,
Et rapido æquoreas turbine voluit aquas.
Æole nunc dixi clauſo te carcere iacta
Eſt mare Neptuno non tibi ſorte datum:

AD EVNDEM
Epigramma.

Littora dum Rhodani ſaltu contingere vellem
Proh dolor! in medias præcipitatus aquas,
Pectore crebra dedi ſuſpiria, namque verebar
Quæ Rhodani fuerat, ne ſtygis vnda foret.

IN EANDEM SENTENTIAM.
Aliud.

Ergone veliuo! ipoſt tot diſcrimina ponti,
Ergone poſt rapidi flamina tanta Noti
Me Rhodane abſorbes, tantos heu comprime fluctus,
Fonte Caballino permaduiſſe ſat eſt.

IN REPENTINAM RHODANI INVNDATIONEM,

quæ obuenit Auenioni 8. Cal. Septemb. 1580.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM

GVILIELMVM DV BLANC EPISCOPUM Tholonenſem, & Prolegatum Auenionenſem, ſuum patruum obſeruandiſſimum.

CVR celer exundet Rhodanus, cur omnia quæris
In mare Thyrrenum fluctibus acta trahat.
Imbribus infeſtus haud turget in infima vertex
Flumina præcipiteis quos ſcopuloſus agit.
Intumet at faſtu tantæ quòd perluit vrbis
Mœnia, quam tanti Præſulis aura fouet.
Sacra Tholonenſis Præſul cui iura miniſtrat,
Quam regit alterius ſolicitudo Iouis.

Aliud.

Fluctiſonis Rhodanus cur turgidus intumet vndis
Æſtas Autumno dum veniente fugit.
Nempe quòd vt ſiccos æſtate ineunte calores
Plebs tulit, hæc vndas ſic abeunte ferat.
Longe à principio quàm finis diſsidet? ignis
Principium fuerat, flumina finis habet.

Aliud.

Dum venit Autumnus, noſtrum quo crimine læſus
Perdere diluuio vis, Deus alme, genus.

Num precer aurigam currus Phaëtonta paterni
Vſiſſe æſtiuo membra calore ſat eſt?
Ecquid erit reliquum, ſi quos calor vrere tantus
Non potuit, rapiat fluminis vnda tumens?

AD ILLVSTRISSIMVM PATRVVM, Epiſcopum Tholonenſem, & Auenionenſium Prolegatum.

Elegia.

MOESTA meos planctus mandet mea muſa papyris,
Et querulum digitis ſollicitetur ebur.
Iam mea tundantur ſingultibus ilia crebris,
Tu paſsis luge, turba nouena, comis.
Et quate lugubri conuexi carmine cœli
Sydera, conqueſtu plangat vterque polus.
En ego cui nondum tenuis lanugo per ora
Serpit, qui paruus vix adoleſco puer.
Ætatis nondum qui bis duo luſtra peregi,
Tempore donabor vermibus eſca breui?
Nil mihi Pieridum, ſummos luſtraſſe receſſus
Proderit, aut ſacro fonte leuaſſe ſitim.
Me nihil inſomneis noctes traxiſſe iuuabit,
Et nil Cæſareis inuigilaſſe libris.
Peſtis adeſt, atræ luſtrabo viſcera terræ,
Fatali caſus vulnere, peſtis adeſt.
Hei mihi! deſtituor ſolus, quem figet adacta
Cuſpide Pierijs mors inimica choris.
Matris amor, columen fratris, ſpes vna ſororum,
Peſte ruam! faxint Dij meliora mihi.
Tu Phœbe ætherea deſcende ſalutifer arce,
Hũc ades, huc medicas defer Apollo manus.
Auctorem te docta ſuum medicina fatetur,
Tu morbos vnus Phœbe leuare potes.
Sis mihi præſidio, toties tibi vita litaui,
Et toties aris thura Sabæa dedi.

Et toties noſtro tua carmine templa ſonarunt,
Tam cito ſi peream crimen id eſto tuum.
Tu quoque per ſi qua eſt noſtræ tibi cura ſalutis,
Si tuæ quis noſtri pectora pungit amor,
Expoſitum peſti ne patrue linque nepotem,
Ne Blancum præſul deſere Blance tuum.
Carmine flectaris, lachrymis moueare propinquus,
Fatis, Cygnæo dulcius ore cano.
Protegat, & faciat tua me clementia ſaluum,
Tu trahe fatalis ſtamina rupta colus.
Muſæo pietas ne me tua deſerat arcto,
Incluſum hîc ſubitò peſte fame ve ruam.
En ad te vt ſupplex palmas, vt lumina tendo,
Vt mea turgidulis fletibus ora tument!
Sin grauibus deceat meme ſuccumbere fatis,
Numina ſi nequeam flectere Auerna prece;
Fas prius eſto mihi ſacris dare baſia palmis,
Lumina conſpectu paſcere noſtra tuo.
Poſtque mihi exequias ſoluat clariſsima mater,
Sindone lugubri corpus amicta ſuum.
Vt Phaëtontiades laceris mea fata ſorores
Crinibus aſsiduè ſanguinolenta fleant.
Contege tu triſti mea, patrue, membra ſepulchro,
Carmine ſignetur frigidus hocce lapis.
Hoc tumulo condor Gulielmus Blancus opaco,
Gallia vagitus audijt alma meos.
Poſt meme optantem Phœbi ſertarier actes
Detinuit dulci blanda Tholoſa ſinu.
Hic ego Daphnæa cinxi mea tempora lauro,
Muſarum & Phœbi charus alumnus eram.
Me prima Auenio Iuris præcepta docebat,
Pandebat Themidis templa recluſa deæ,

In

In cineres peſtis cum me lethea redegit,
Et mea fatali corpora clauſit humo.,
Si quæris ſpecimen doctrinæ inſigne, viator,
Quod dederim, ingenij quæ monumenta mei:
Conabar ſtudio intentus per multa, volaret
Queis mea perpetuò fama per ora virûm.
Nec mihi Mecœnas deerat, nec viuida virtus
Ingenij, aſt ætas defuit vna mihi.
Ingenio poteram cœlorum attingere culmen,
Noſcere & immenſo quicquid in orbe latet.
Sed nomen, corpus, famam, gratoſque labores
Præripuit tacito mors inopina gradu.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM PATRVVM

GVILIELMVM DV BLANC, EPISCOpum Tholonenſem, & Auenionenſium Prolegatum Cal. Ianuar. an. 1581. Xenia.

IAM Tropici Titan Capricorni limite ſurgit
Per vaga quadrijugis Sidera vectus equis.
Bifrontis ſacræ Iani rediêre Calendæ,
Omine fœlici iam nouus annus init.
Munera donantur, ſed ego pauperculus infans,
Quæ tibi Mecœnas inclyte dona dabo?
Si tincta hoſtili mea ſanguine dextra ruberet,
Aſpera ſi ruerem miles in arma ferox;
Iam tibi pro xenijs noſtri monumenta laboris
Erigerem gladios, exuuiaſque darem.
Si varias irem profugus mercator in oras
Præcipiti credens carbaſa paſſa noto.
Donarem Eoos Arabum tibi, Præſul, odores,
Quàſque leueis gemmas India diues habet.
Donarem cumulos auri, tibi muneris inſtar,
Aſſyrio veſtis murice tincta foret.
Si tenui agreſtem meditarer arundine Muſam,
Lanigeras paſcens Tityrus alter oues.
Pallenteis violas intextaque lilia lauro,
Plenaque candenti pocula lacte darem.

Sed quia nec medios irrumpo miles in hoſtes,
Nec vaga mercator Climata luſtro maris.
Vda nec vmbroſi tondentem arbuſta Salicti,
Paſco gregem, deſunt quæ tibi dona feram?
Ille ego qui rapior ſpatioſa per æquora legum,
Quique feror Themidis caſtra per ampla Deæ.
Offero nodoſi quæ ſolui ænigmata Iuris,
Quas potui leges enucleare fero:
Carmina ſunt etiam teneris mihi Phœbus ab annis
Quæ dedit, hæc magni muneris inſtar erunt.
Excipe pacato mea tu munuſcula vultu,
Non mihi maiores connumerantur opes.
Iuno tibi arridet, nobis arridet Apollo,
Iuno diuitias, carmina Phœbus habet.
Dono tibi verſus, mihi quos donauit Apollo,
Tu da diuitias, quas tibi Iuno dedit.
Sed quid ego hæc demens? tu mente recondis & arca
Quicquid habet Iuno, quicquid Apollo tenet.
Quid dabo? nihil habeo: Iuno Themis, augur Apollo
Te cumulant donis; omnia ſolus habes.
Do tibi quæ tua ſunt, qui ſum tuus, en tibi totum
Me dedo: ipſe meum ſic tibi munus ero.

PRO INCOLVMITATE
REVERENDISSIMI ET
ILLVSTRISSIMI
GVILIELMI DVBLANC
EPISCOPI THOLONENSIS
& Auenionenſium Prolegati,

Votum.

LATIVS peſtis violenta ſerpit
In dies lecto grauis & iacentis
Inferas ciues Stygiæ paludis
Trudit in vndas.
Quiſque conuentus domui retruſus
Effugit, vicos peragrare nullus
Audet: infandus dolor ingraueſcit
Auenioni.
Hei mihi! quanto mea Muſa planctu
Summa nymboſi quatit aſtra cœli,
En vt humectat madidos oborto
Flumine vultus.
Proh dolor! qualeis gemitus ab imo
Corde deducit quæribunda, crines
Stant vt erecti, velut ora pallor
Inficit albus.
Ne ſuus ſæua pereat veretur

Peſte Mecœnas, columen bicornis
Montis, ô dirum facinus, ſceluſque
Exitiale.
O quater nobis inimica peſtis,
I, gradum tetri refer in profunda
Antra Plutonis, Styge conde tortos
Crinibus angues.
Tu ne cunctaris! procul hinc abeſto,
Te diu ſegnem mora quæ retardat?
Terga da, ne nos grauis obruamur
Mole ſepulchri.
Ne Tholonenſis lachrimoſa præſul
Fata perſoluens tumulo tegatur,
Neue lugentis reſonent nepotis
Quæſtibus aſtra.
Virgo ſupremi genitrix Tonantis,
Quæ premis ſacris pedibus bicorne
Sidus, & latè radioſa puri
Corpora Phœbi.
Quæ tenes ſummi ſpatioſa cœli
Tecta, quæ fœlix agitata vento
Æquora, & terras ſupero iacenteis
Deſpicis orbe.
Hûc ades, ſurdas precibus nec aurer
Exhibe, noſtros pia mitigare
Virgo conqueſtus potis es, graueiſque
Pellere morbos.
Tu faue nobis Dea, tu ſuperno
Aſsides patri, tibi laus honorque,
Filia es Chriſti, genitrixque Chriſti,
Sponſaque Chriſti.
Tempus in longum incolumem roganti

Virgo conſerua patruum nepoti,
Fac vt excedat Pylij fugaceis
Neſtoris annos.
Da Palatinas fera peſtis arceis
Linquat, vt nondum ſua ſaucietur
Membra, Mecœnas animam tepenteis
Efflet in auras.
Mox vbi cœlo referet ſereno
Hinc pedem morbus grauis, actiones
Saluus in templo tibi gratiarum
Præſul habebit.
Tunc tuas aras onerabo votis
Lætus appenſis ego, tunc Sabæo
Ara fumanti tua ter calebit
Pinguis odore.
Flore ſpirabunt tua templa ſparſo,
Et Roſas pleno mea dextra cornu
Fundet, & dulci reſonabit omne
Carmine cœlum.
Cùm comam tonſus manibus ſacerdos
Myſticum ſacris nouus eleuabo
Arbore erecta Crucis immolatum
Corpus Ieſu.
Omne votiuis præcibus ſacellum
Virgo complebo, tua & inuocabo
Preſbyter iunctis veneranda palmis
Numina ſupplex.
Interim blandis fidibus poëta
Dulcis aptabo mea vota, plectro
Sæpe Diræo Citharam ſonantem
Sollicitabo.
Te canam Chriſti genitrix, tuumque

Nomen haud ſolui metuente penna
Noſtra aget Sappho per inane donec
Vita manebit.
Annuas votis, facilemque noſtris
Præbeas aurem precibus benigna
Virgo, quas ſupplex tibi duplicato
Poplite fundo.
Tuque qui ſummi Iouis ore ſacro
Paſcis ardenteis oculos, & hauris
Nectaris plenos calices ſupremi
Incola cœli.
Perblandis ergo precibus triformem
Vrgeas ſupplex precer vnitatem,
Peſte vt vltricem procul hinc abacta
Mitiget iram.
Vrbe cùm morbus grauis exulabit,
Exprimam verſu tua doctiori
Facta, te docti reſonabo blando
Pollicis ictu.
Floribus ſpargam tua templa vernis,
Lampas ardebit radioſa noctu,
Plena nec dêrit redolentis aræ
Thuris acerra.
O Deus princeps hominum deûmque!
Cuius vndenos moderatur orbes
Dextra cæleſtes, medioque librat
Aëre terram.
Qui Regis ſolo ſpatioſa nutu
Prata Neptuni, Cruce qui potenti
Alter Alcides Iouis ima Auerni
Atria rumpis.
Qui tuo noſtri generis cruore

Crimen antiquum Deus expiaſti,
Qui recluſiſti patris antè clauſa
Regna ſuperni.
Hûc ades clemens, manuum moroſa
Peſte ne perdas opus hoc tuarum,
Neu tuam triſti patiare plebem
Morte perire.
Ne tuos vexes, pater alme, natos,
Parce ſubiectis, pie rex, rubente
Nec tonans dextra iaculeris vrbem
Æthere ab alto.
Ecquod hos crimen tibi concitauit
In tuum iuſtos populum furores?
Quodue tam ſæuas ſcelus æque vindex
Commouet iras?
Vidimus ripa Rhodanum ſiniſtra
Grana veloci rapuiſſe curſu,
Fertileis vuis ſpoliaſſe vites
Floribus hortos.
Vidimus mœſti rapidis peræſos
Funditus muros violenter vndis
Diſiici, nec non lutulenta latè
Templa Deorum.
Vidimus nexis ſuper enatanteis
Hûc & hûc ferri trabibus colonos,
Vidimus totam tumidis madere
Fluctibus vrbem.
Nos fames multùm maleſuada preſſit,
Terra dum triſti glacie rigerat,
Spe Ceres forteis ſterilis colonos
Luſit inani.

Heu!

Heu! quot in mutos cineres redegit,
Quot fames vaſto Phlegetontis amne
Pauperes merſit, fame quot peremptos
Pluto recepit!
Quid loquar torui truculenta Martis
Arma, & hoſtileis cuneos, quid inquam
Eloquar crudas acies ahena
Luce coruſcas!
Agmina incenſas populata villas,
Quid patre orbatos pueros, puellas
Flore, paſtores grege deſtitutos
Templaque aduſta.
Ecquid infandum renouem dolorem,
Ecquid inuiſas memorem ruinas,
Concinam & latè fluido natanteis
Sanguine campos.
Et modo peſtis violenta ſæuit,
Noſque ſub muti lapidem ſepulchri
Sæua detrudit, neque ſpes ſalutis
Vlla remanſit.
Eñ nouis lucens rubet æthra flammis,
En vt è ſumma regione noſtro
Dura caudatum minitatur orbi
Prælia ſydus.
Ecquid in terris remanebit, omne
Si genus fluctu, fame, peſte, ferro,
Mergis, affligis, perimis, trucidas,
Criminis vltor
Ah! Deus noſtros miſerare caſus,
Quique noſtrorum ſcelerum nefanda
Laderis culpa, prece mitigatus
Fulmina pone.
En tibi ſupplex mea vota ſoli Aa

Offero, terra genibus volutis,
Inque te ſolo, Deus, irretorta
Lumina figo.
Da vagi ſaltem moderator orbis,
Fonte qui ſacro mea ſubleuauit
Membra, Lethæa ſua ne palude
Corpora mergat.
Chriſte flectaris prece, quique nondum
Sexies denos tetigit Decembres,
Ne ſuum linquat propera peremptus
Morte clientem.
Tu tui præſul Sapient Tholoni,
Tu Deus noſtrum, mea tu voluptas
Cælites audin', prece qua fatigem
Votaque fundam?
Viuito fælix, peragas tot annos
Quot meus dulceis lenis exarauit
Hodie verſus calamus, quot ardent
Sidera cælo.
Et quot Autumno veniente ſiccæ
Decidunt frondes, placido quot herbas
Vere producit Rhea, quotue flammis
Æſtuat Ætna.
Serus ardentem ſubeas Olympum,
Lætus interſis populo Tholoni,
Neuè te peſtis Patruum nepoti
Inuida tollat.
Hic ames dici patruus, Tholoni
Paſtor, & rerum columen mearum
Grande Mecænas, vigeatque Blancus
Te duce præſul.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM PATRVVM GVILIELMVM DV BLANC, EPISCOpum Tholonenſem, & Auenionenſium Prolegatum.

DVM venenatis fodit expauentes
Peſtilens morbus populos ſagittis,
Morſque dum vultu truculenta ſæuit
Auenioni.
Blancus optata fruitur quiete,
Iuris enodat laqueos, inhæret
Totus & legum ſtudijs, nec audet
Vellier illis.
His tamen curis animum relaxans
Ad ſacros ſeſe properis libellos
Greßibus confert, Iouis & ſupremi
Myſtica tractat.
Sæpe frondoſa recubans ſub vlmo,
Dulcibus Muſam calamis agreſtem
Axe dum Titan medio caleſcit,
Præmeditatur.
Hic tuos aptat fidibus canoris
Clare Mecœnas, celebreis honores,
Hic tibi longos Pylij precatur
Neſtoris annos.
Hic tuum dulci Dryades camæna
Nomen extollunt, recinitque tanti

Præſulis clarum decus in remotis
Vallibus echo.
Hìc tuum cantant tremula Tholonum
Fronde ſuſpenſæ volucres, remugit
Omne deducta nemus, & nepotis
Voce Poëtæ.
O tui Præſul columen nepotis,
Quod meus carmen rudis exarauit
Gallicum chartis calamus, ſereno
Accipe vultu.
Peſte cùm triſti procul exulante
Priſtinos ſoſpes repetam penates,
Tunc ſacratarum dabo diſſoluta
Lemmata legum.
Parte dicuſſas ab vtraque multis
Afferam verbis tibi quæſtiones,
Hiſque ſemotis ſtudijs Quiritum
Iura capeſſam.
Interim dono tibi quos alumno
Gallicos afflat Sacra Muſa verſus,
Et tibi noſtræ monumenta ſapphus
Erigo ruri.
Tu tui verſus placido Poëtæ,
Sume Mecœnas animo impolitos,
Et tuum Præſul memori reconde
Mente nepotem.

AD MECOENATEM MVNIFICENTISSIMVM,

ILLVSRISSIMVMQVE PATRVVM Epiſcopum & Vicelegatum, pro Xeniјs an. M. D. LXXXII.

Carmen Elegiacum.

DVm nouus exoritur mẽſis, nouus aduenit annus,
Et noua dum Titan exſerit ora nouus.
Quæ tibi Mecænas donem noua munera mecum
Exigo, & in dubio mens malè certa labat.
Nam mihi cùm deſint quæ dem tibi munera, vellem
Donare in lepidos verba coacta pedes.
Me tamen antiquo non poſſum includere ludo,
Nec mea diſparibus claudere verba modis.
Non mihi Muſarum reſonant concentibus aures,
Nec mea Caſtalio fonte labella madent.
Nil niſi doctorum peregrinas audio voces,
Et gemini vaſtum per mare iuris agor.
Non venit obtuſas facilis mihi verſus in aureis,
Nec faciles adſunt in mea vota Deæ.
Dumque ego Phœbæos tento conſcribere verſus,
Exaro verſiculos Iuſtiniane tuos.
Dum numeris animum ſtudeo mulcere, columnas,
Atque tuos numeros Bartole ſæpe cito.
Sæpe ego perfuſos lachrymis ad ſidera vultus
Et dupliceis flexo poplite tendo manus.

Et querulis Muſam compello vocibus; ô tu
Hûc ades, & cœptis annue Muſa meis.
Vates ecce tuis ſupplex aduoluor vt aris,
Mœſtus vt ante tuos procido Diua pedes.
Tu vati adſpira, blandos tu ſuggere verſus,
Mecœnas anno quos ineunte legat.
Pelle moras, Iani ſacræ venêre Calendæ,
Hûc iter, hûc greſſus dirige Muſa tuos.
Sed queror in vanum, fruſtrà vos inuoco, Muſæ,
Inuoco vos precibus Numina ſurda meis.
Verbaque commotus mea iactat inania turbo,
Inque leueis abeunt irrita vota Notos.
Te tuus implorat vates, te charus alumnus
Inuocat, hûc curſu præpete Muſa veni.
Vix ea finieram, vultu cùm Muſa proteruo
Ante oculos magica conſtitit arte meos.
Et ſacram inſolito mentem ſuccenſa furore,
Irato taleis edidit ore ſonos.
Tu ne importuna mea numina voce fatiga,
Deſine me votis ſollicitare tuis.
Non dabo Phœbeum deducere gutture carmen,
Laurea nec capiti nectere ſerta tuo.
Non dabo Pegaſeos poſt hac haurire liquores,
Nec reſonæ digitis fila mouere Lyræ.
Demorſoſque licet perſæpe arroſeris vngueis,
Aduerſo facies Numine cuncta meo.
Tu ſoli fateor quondam mihi thura dediſti,
Et tibi Phœbei complacuêre ioci.
Solaque Pierij luſtrabas culmina montis,
Et facile & dextrum tunc tibi numen erat.
Nunc ingens legum placet indigeſtaque moles,
Et tibi nunc luſus diſplicuêre mei.

Nunc ſtudium legale placet, producere noctes
In medias, totum te modo Cæſar habet.
Scitaque prudentum in trinum digeſta volumen,
Reſcripta & regum te modo noſſe iuuat.
Impuruſque tuas remoratur Bartolus aureis,
Voluis & immanes nocte dieque libros.
Scilicet ex eius potis es corradere libris,
Quæ Mecœnati munera digna feras.
His habitis tenueis ſubito ſeceſsit in auras,
Nec pudet hanc, vatem deſtituiſſe ſuum.
Tunc ego dicebam: quæ te ſententia vertit
Diua? decet vati vertere terga tuo?
Ipſe ergo te ſolam colui puerilibus annis:
Hoc meritis pretium redditur ergo meis?
Quid toties iuuat ergo tibi me vota dediſſe,
Et genibus toties procubuiſſe tuis:
Si modo pro xenijs patruo quod mittere poſsim,
Dulce mihi carmen ſuppeditare negas?
Sæpe ego tunc dixi, procul hinc procul eſte Quiritum
Iura, tuos remoue Iuſtiniane libros.
Bartolus hinc referat greſſum, repetatque Tholonum,
Aut auido pereat quæque columna rogo.
Bartole cunctaris, procul hinc, quin ipſe Tholoni
Mallem te longo delituiſſe ſitu.
O vtinam qua vectus eras per cærula, nunquam
Intraſſet placidos puppis adunca ſinus.
O vtinam tumido perijſſet naufraga fluctu,
Eſſet & in ſcopulos flatibus acta Noti.
Muſa mihi verſus non irritata negaret,
Sed mihi ſcribenti ſedula ferret opem.
Hæc ego queſtus eram, lachrymæque in verba cadebant,
Nix vt ab excelſo monte ſoluta cadit.

Cùm ſuperi ſacro delapſa è vertice cœli
Vocibus increpuit me Themis alma ſuis.
Quid miſer hunc tacito premis altum corde dolorem?
Lumina quid fuſis fletibus ora tument?
Siſte precor lachrymas, luctus reſcinde, dolorem
Excute, nec tantis queſtibus aſtra petas.
Nil tibi cum Muſis, ne ſint tibi carmina curæ,
Inſtar Muſarum Bartolus eſto tibi.
Mecœnas quanuis placide tua carmina ſumat,
Is mage grata tamen lemmata iuris habet.
Æterno hunc fateor tolles ſuper æthera verſu,
Eius & immenſo nomen in orbe canes.
Eſt tamen vtilius noſtras adipiſcier artes,
Carminibus leges præpoſuiſſe iuuat.
Macte animo iuuenis, ſacras amplectere leges,
Pro Xenijs patruo iura ſoluta dabis.
Dixit, & hinc abiens ſubiecit brachia collo,
Oſcula & arridens ter repetita dedit.
Accipe quas igitur Præſul tibi defero leges,
Cùm dare non potui carmina, iura dedi,
Parua quidem do paruus ego, das maxima magnus
O Præſul, Blanci præſidiumque tui:

Ad

AD EVNDEM REVERENDISSIMVM ILLVSTRISSIMVMQVE GVILIELMVM DV BLANC, EPISCOPum Tholonenſem, & Auenionenſium Vicelegatum.

DVm furit Auenicos peſtis populata penates,
Latius & tota ſpargitur vrbe lues.
Vota Tholonenſis fundit ſolemnia Præſul,
Infeſti & precibus flectitur ira Iouis.
Hæreſis, & varias dum ſenſim obrêpit in aureis,
Serpit & hæc animi pernitioſa lues.
Quæ ſeptem à Chriſto myſteria tradita plebi
Polluit impura relligione ſua.
Hæc ſolidis ſtabilit Præſul ſacra myſtica libris,
Concuſſu hæreſeos ne labefacta ruant.
En procul & ſcriptis animi contagia pellit,
Qui prece corporeum virus ab vrbe fugat.

AD LIBELLVM, DE RECIPROCA SVBSTITVTIONE.

Parue liber noſtri monumentum inſigne laboris,
Te decet in docti Præſulis ire manus.
Sis licet incomptus poſitis ſine lege capillis,
Sis licet & verbis paruus, & arte minor.

PRO INCOLVMITATE REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI

GVILIELMI DVBLANC EPISCOPI THOLONENSIS & Auenionenſium Prolegati,

Votum.

L*ATIVS peſtis violenta ſerpit*
In dies lecto grauis & iacentes
Inferas ciues Stygiæ paludis
Trudit in vndas.
Quiſque conuentus domui retruſus
Effugit, vicos peragrare nullus
Audet: infandus dolor ingraueſcit
Auenioni.
Hei mihi! quanto mea Muſa planctu
Summa nymboſi quatit aſtra cœli,
En vt humectat madidos oborto
Flumine vultus.
Proh dolor! qualeis gemitus ab imo
Corde deducit quæribunda, crines
Stant vt erecti, velut ora pallor
Inficit albus.
Ne ſuus ſæua pereat veretur

Peſte Mecœnas, columen bicornis
Montis, ô dirum facinus, ſceluſque
Exitiale.
O quater nobis inimica peſtis,
I, gradum tetri refer in profunda
Antra Plutonis, Styge conde tortos
Crinibus angues.
Tu ne cunctaris! procul hinc abeſto,
Te diu ſegnem mora quæ retardat?
Terga da, ne nos grauis obruamur
Mole ſepulchri.
Ne Tholonenſis lachrimoſa præſul
Fata perſoluens tumulo tegatur,
Neue lugentis reſonent nepotis
Quæſtibus aſtra.
Virgo ſupremi genitrix Tonantis,
Quæ premis ſacris pedibus bicorne
Sidus, & latè radioſa puri
Corpora Phœbi.
Quæ tenes ſummi ſpatioſa cœli
Tecta, quæ fœlix agitata vento
Æquora, & terras ſupero iacenteis
Deſpicis orbe.
Hûc ades, ſurdas precibus nec aures
Exhibe, noſtros pia mitigare
Virgo conqueſtus potis es, graueiſque
Pellere morbos.
Tu faue nobis Dea, tu ſuperno
Aſſides patri, tibi laus honorque,
Filia es Chriſti, genitrixque Chriſti,
Sponſaque Chriſti.
Tempus in longum incolumem roganti

Virgo conſerua patruum nepoti,
Fac vt excedat Pylij fugaceis
Neſtoris annos.
Da Palatinas fera peſtis arceis
Linquat, vt nondum ſua ſaucietur
Membra, Mecœnas animam tepenteis
Efflet in auras.
Mox vbi cælo referet ſereno
Hinc pedem morbus grauis, actiones
Saluus in templo tibi gratiarum
Præſul habebit.
Tunc tuas aras onerabo votis
Lætus appenſis ego, tunc Sabæo
Ara fumanti tua ter calebit
Pinguis odore.
Flore ſpirabunt tua templa ſparſo,
Et Roſas pleno mea dextra cornu
Fundet, & dulci reſonabit omne
Carmine cælum.
Cùm comam tonſus manibus ſacerdos
Myſticum ſacris nouus eleuabo
Arbore erecta Crucis immolatum
Corpus Ieſu.
Omne votiuis præcibus ſacellum
Virgo complebo, tua & inuocabo
Preſbyter iunctis veneranda palmis
Numina ſupplex.
Interim blandis fidibus poëta
Dulcis aptabo mea vota, plectro
Sæpe Diræo Citharam ſonantem
Sollicitabo.
Te canam Chriſti genitrix, tuumque

Nomen haud ſolui metuente penna
Noſtra aget Sappho per inane donec
Vita manebit.
Annuas votis, facilemque noſtris
Præbeas aurem precibus benigna
Virgo, quas ſupplex tibi duplicato
Poplite fundo.
Tuque qui ſummi Iouis ore ſacro
Paſcis ardenteis oculos, & hauris
Nectaris plenos calices ſupremi
Incola cœli.
Perblandis ergo precibus triformem
Vrgeas ſupplex precer vnitatem,
Peſte vt vltricem procul hinc abacta
Mitiget iram.
Vrbe cùm morbus grauis exulabit,
Exprimam verſu tua doctiori
Facta, te docti reſonabo blando
Pollicis ictu.
Floribus ſpargam tua templa vernis,
Lampas ardebit radioſa noctu,
Plena nec dêrit redolentis aræ
Thuris acerra.
O Deus princeps hominum deûmque!
Cuius vndenos moderatur orbes
Dextra cœleſtes, medioque librat
Aëre terram.
Qui Regis ſolo ſpatioſa nutu
Prata Neptuni, Cruce qui potenti
Alter Alcides Iouis ima Auerni
Atria rumpis.
Qui tuo noſtri generis cruore

Crimen antiquum Deus expiaſti,
Qui recluſiſti patris antè clauſa
Regna ſuperni.
Hûc ades clemens, manuum moroſa
Peſte ne perdas opus hoc tuarum,
Neu tuam triſti patiare plebem
Morte perire.
Ne tuos vexes, pater alme, natos,
Parce ſubiectis, pie rex, rubente
Nec tonans dextra iaculeris vrbem
Æthere ab alto.
Ecquod hos crimen tibi concitauit
In tuum iuſtos populum furores?
Quodue tam ſæuas ſcelus æque vindex
Commouet iras?
Vidimus ripa Rhodanum ſiniſtra
Grana veloci rapuiſſe curſu,
Fertileis vuis ſpoliaſſe vites
Floribus hortos.
Vidimus mœſti rapidis peræſos
Funditus muros violenter vndis
Diſiici, nec non lutulenta latè
Templa Deorum.
Vidimus nexis ſuper enatanteis
Hûc & hûc ferri trabibus colonos,
Vidimus totam tumidis madere
Fluctibus vrbem.
Nos fames multùm maleſuada preſſit,
Terra dum triſti glacie rigerat,
Spe Ceres forteis ſterilis colonos
Luſit inani.

Heu! quot in mutos cineres redegit,
Quot fames vaſto Phlegetontis amne
Pauperes merſit, fame quot peremptos
Pluto recepit!
Quid loquar torui truculenta Martis
Arma, & hoſtileis cuneos, quid inquam
Eloquar crudas acies ahena
Luce coruſcas!
Agmina incenſas populata villas,
Quid patre orbatos pueros, puellas
Flore, paſtores grege deſtitutos
Templaque aduſta.
Ecquid infandum renouem dolorem,
Ecquid inuiſas memorem ruinas,
Concinam & latè fluido natanteis
Sanguine campos.
Et modo peſtis violenta ſæuit,
Noſque ſub muti lapidem ſepulchri
Sæua detrudit, neque ſpes ſalutis
Vlla remanſit.
En nouis lucens rubet æthra flammis,
En vt è ſumma regione noſtro
Dura caudatum minitatur orbi
Prælia ſydus.
Ecquid in terris remanebit, omne
Si genus fluctu, fame, peſte, ferro,
Mergis, affligis, perimis, trucidas,
Criminis vltor
Ah! Deus noſtros miſerare caſus,
Quique noſtrorum ſcelerum nefanda
Læderis culpa, prece mitigatus
Fulmina pone.
En tibi ſupplex mea vota ſoli *Aa*

Offero, terra genibus volutis,
Inque te ſolo, Deus, irretorta
Lumina figo.
Da vagi ſaltem moderator orbis,
Fonte qui ſacro mea ſubleuauit
Membra, Lethæa ſua ne palude
Corpora mergat.
Chriſte flectaris prece, quique nondum
Sexies denos tetigit Decembres,
Ne ſuum linquat propera peremptus
Morte clientem.
Tu tui præſul Sapienſ Tholoni,
Tu Deus noſtrum, mea tu voluptas
Cælites audin', prece qua fatigem
Votaque fundam?
Viuito fœlix, peragas tot annos
Quot meus dulceis lenis exarauit
Hodie verſus calamus, quot ardent
Sidera cœlo.
Et quot Autumno veniente ſiccæ
Decidunt frondes, placido quot herbas
Vere producit Rhea, quotue flammis
Æſtuat Ætna.
Serus ardentem ſubeas Olympum,
Lætus interſis populo Tholoni,
Neuè te peſtis Patruum nepoti
Inuida tollat.
Hic ames dici patruus, Tholoni
Paſtor, & rerum columen mearum
Grande Mecœnas, vigeatque Blancus
Te duce præſul.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM PATRVVM GVILIELMVM DV BLANC, EPISCOpum Tholonenſem, & Auenionenſium Prolegatum.

DVM venenatis fodit expauentes
Peſtilens morbus populos ſagittis,
Morſque dum vultu truculenta ſæuit
Auenioni.
Blancus optata fruitur quiete,
Iuris enodat laqueos, inhæret
Totus & legum ſtudÿs, nec audet
Vellier illis.
His tamen curis animum relaxans
Ad ſacros ſeſe properis libellos
Greſsibus confert, Iouis & ſupremi
Myſtica tractat.
Sæpe frondoſa recubans ſub vlmo,
Dulcibus Muſam calamis agreſtem
Axe dum Titan medio caleſcit,
Præmeditatur.
Hîc tuos aptat fidibus canoris
Clare Mecœnas, celebreis honores,
Hîc tibi longos Pylÿ precatur
Neſtoris annos.
Hîc tuum dulci Dryades camæna
Nomen extollunt, recinitque tanti

Præſulis clarum decus in remotis
Vallibus echo.
Hìc tuum cantant tremula Tholonum
Fronde ſuſpenſæ volucres, remugit
Omne deducta nemus, & nepotis
Voce Poëtæ.
O tui Præſul columen nepotis,
Quod meus carmen rudis exarauit
Gallicum chartis calamus, ſereno
Accipe vultu.
Peſte cùm triſti procul exulante
Priſtinos ſoſpes repetam penates,
Tunc ſacratarum dabo diſſoluta
Lemmata legum.
Parte dicuſſas ab vtraque multis
Afferam verbis tibi quæſtiones,
Hiſque ſemotis ſtudijs Quiritum
Iura capeſſam.
Interim dono tibi quos alumno
Gallicos afflat Sacra Muſa verſus,
Et tibi noſtræ monumenta ſapphus
Erigo ruri.
Tu tui verſus placido Poëtæ,
Sume Mecœnas animo impolitos,
Et tuum Præſul memori reconde
Mente nepotem.

AD MECOENATEM MVNIFICENTISSIMVM,

ILLVSRISSIMVMQVE PATRVVM *Epiſcopum & Vicelegatum, pro Xenijs an. M. D. LXXXII.*

Carmen Elegiacum.

DVm nouus exoritur mēſis, nouus aduenit annus,
Et noua dum Titan exſerit ora nouus.
Quæ tibi Mecœnas donem noua munera mecum
Exigo, & in dubio mens malè certa labat.
Nam mihi cùm deſint quæ dem tibi munera, vellem
Donare in lepidos verba coacta pedes.
Me tamen antiquo non poſſum includere ludo,
Nec mea diſparibus claudere verba modis.
Non mihi Muſarum reſonant concentibus aures,
Nec mea Caſtalio fonte labella madent.
Nil niſi doctorum peregrinas audio voces,
Et gemini vaſtum per mare iuris agor.
Non venit obtuſas facilis mihi verſus in aureis,
Nec faciles adſunt in mea vota Deæ.
Dumque ego Phœbæos tento conſcribere verſus,
Exaro verſiculos Iuſtiniane tuos.
Dum numeris animum ſtudeo mulcere, columnas,
Atque tuos numeros Bartole ſæpe cito.
Sæpe ego perfuſos lachrymis ad ſidera vultus
Et dupliceis flexo poplite tendo manus.

Et querulis Muſam compello vocibus; ô tu
Hùc ades, & cœptis annue Muſa meis.
Vates ecce tuis ſupplex aduoluor vt aris,
Mæſtus vt ante tuos procido Diua pedes.
Tu vati adſpira, blandos tu ſuggere verſus,
Mecœnas anno quos ineunte legat.
Pelle moras, Iani ſacræ venêre Calendæ,
Hûc iter, hûc greſſus dirige Muſa tuos.
Sed queror in vanum, fruſtrà vos inuoco, Muſæ,
Inuoco vos precibus Numina ſurda meis.
Verbaque commotus mea iactat inania turbo,
Inque leueis abeunt irrita vota Notos.
Te tuus implorat vates, te charus alumnus
Inuocat, hûc curſu præpete Muſa veni.
Vix ea finieram, vultu cùm Muſa proteruo
Ante oculos magica conſtitit arte meos.
Et ſacram inſolito mentem ſuccenſa furore,
Irato taleis edidit ore ſonos.
Tu ne importuna mea numina voce fatiga,
Deſine me votis ſollicitare tuis.
Non dabo Phœbeum deducere gutture carmen,
Laurea nec capiti nectere ſerta tuo.
Non dabo Pegaſeos poſthac haurire liquores,
Nec reſonæ digitis fila mouere Lyræ.
Demorſoſque licet perſæpe arroſeris vngueis,
Aduerſo facies Numine cuncta meo.
Tu ſoli fateor quondam mihi thura dediſti,
Et tibi Phœbei complacuêre ioci.
Solaque Pierij luſtrabas culmina montis,
Et facile & dextrum tunc tibi numen erat.
Nunc ingens legum placet indigeſtaque moles,
Et tibi nunc luſus diſplicuêre mei.

Nunc ſtudium legale placet, producere noctes
In medias, totum te modo Cæſar habet.
Scitaque prudentum in trinum digeſta volumen,
Reſcripta & regum te modo noſſe iuuat.
Impuruſque tuas remoratur Bartolus aureis,
Voluis & immanes nocte dieque libros.
Scilicet ex eius potis es corradere libris,
Quæ Mecœnati munera digna feras.
His habitis tenueis ſubito ſeceſsit in auras,
Nec pudet hanc, vatem deſtituiſſe ſuum.
Tunc ego dicebam: quæ te ſententia vertit
Diua? decet vati vertere terga tuo?
Ipſe ergo te ſolam colui puerilibus annis:
Hoc meritis pretium redditur ergo meis?
Quid toties iuuat ergo tibi me vota dediſſe,
Et genibus toties procubuiſſe tuis:
Si modo pro xenijs patruo quod mittere poſsim,
Dulce mihi carmen ſuppeditare negas?
Sæpe ego tunc dixi, procul hinc procul eſte Quiritum
Iura, tuos remoue Iuſtiniane libros.
Bartolus hinc referat greſſum, repetatque Tholonum,
Aut auido pereat quæque columna rogo.
Bartole cunctaris, procul hinc, quin ipſe Tholoni
Mallem te longo delituiſſe ſitu.
O vtinam qua vectus eras per cærula, nunquam
Intraſſet placidos puppis adunca ſinus.
O vtinam tumido perijſſet naufraga fluctu,
Eſſet & in ſcopulos flatibus acta Noti.
Muſa mihi verſus non irritata negaret,
Sed mihi ſcribenti ſedula ferret opem.
Hæc ego queſtus eram, lachrymæque in verba cadebant,
Nix vt ab excelſo monte ſoluta cadit.

AD EVNDEM REVERENDISSIMVM ILLVSTRISSIMVMQVE GVILIELMVM DV BLANC, EPISCOPUM Tholonenſem, & Auenionenſium Vicelegatum.

DVm furit Auenicos peſtis populata penates,
Latius & tota ſpargitur vrbe lues.
Vota Tholonenſis fundit ſolemnia Præſul,
Infeſti & precibus flectitur ira Iouis.
Hæreſis, & varias dum ſenſim obrêpit in aureis,
Serpit & hæc animi pernitioſa lues.
Quæ ſeptem à Chriſto myſteria tradita plebi
Polluit impura relligione ſua.
Hæc ſolidis ſtabilit Præſul ſacra myſtica libris,
Concuſſu hæreſeos ne labefacta ruant.
En procul & ſcriptis animi contagia pellit,
Qui prece corporeum virus ab vrbe fugat.

AD LIBELLVM, DE RECIPROCA SVBSTITVTIONE.

Parue liber noſtri monumentum inſigne laboris,
Te decet in docti Præſulis ire manus.
Sis licet incomptus poſitis ſine lege capillis,
Sis licet & verbis paruus, & arte minor.

Te tamen excipiet grato pro munere, donat
Magnus magna mihi, paruaque paruus ego.

Ad Iuris candidatos Aueniones.

SI legum ſtudioſe cupis concellere paucas
Indo Ius docto quas tibi pono theſes:
Ecce patet campus, veris rationibus inſta,
Et valida ex legum textibus arma pete.
Bartolus eſto procul, quando ſine lege loquetur,
Nil ego Doctorum ſomnia vana moror.
Textibus actor agas, reus excipiamque viciſsim
Textibus, hac erimus conditione pares.

AD GEORGIVM ARMANIACVM S. R. E. CARDINALEM ILLVSTRISS. ATQVE Ampliſſ. Collegam Auenionenſem meritiſſimum.

SVſcipe quos offert tibi noſtra Academia fructus,
Aſtrææ ô culmen, præſidiumque Deæ.
Tuque etiam, princeps placato ſuſcipe vultu
Quæ canit addictus carmina pauca cliens.
Plura quidem cantare poteſt, ſed carmine paruo
Muſa viros magnos attenuare vetat.
Inſeris at ſi me Latiis Galliſue Poëtis,
Sidera ſublimi vertice celſa petam.
Monte ego ab Aonio Themidos tunc primus ad aras
Deducam faciles in mea vota deas.
Principis Armeni Latium celebrabit honores,
Audiet & nomen Gallia noſtra tuum.

AD IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATOS.

HVc celeri contende gradu, ſtudioſa iuuentus,
Si tua quis Themidos pectora torquet amor.
Noſtra profeſſores claros Academia nutrit,
Et iuuenes blando confouet alma ſinu.

Siſacra Pontificum reſcripta ediſcere mauis,
Pontificum ſedes hæc adeunda tibi.
Siue etiam exoptas Romana capeſſere iura,
Adueni ad Auenicas patria ab vrbe domos.
Scæuola reſpondet bene, Papinianus acutus
Diſſerit, hîc Paulus iura ſacrata docet.
Quod cupis, hæc dabit vrbs: Patrum ſcita optima, nec non
Romanas leges, altera Roma colit.

ODE.

HIc equum frenis agitet ferocem
Qui leui ſaltu f:riens Olympum
Se modò attollit, modò ſe rotundum
Flectit in orbem.
Ille lunato iaculetur arcu
Illitas acri pharetras veneno,
Inque ſpumanteis violentus apros
Torqueat haſtam.
Alter in longos numeros relatus
Militum, belli moueat tumultus,
Enſe decertans rigido ſuperbos
Edomet hoſtes.
Alter Eoas Zephyris ſecundis
Viſitet terras, Scythicaſque gentes,
Quas & aduerſo Cynoſura in axe
Occulit oras.
Alterum fuſis variè capillis,
In ſuis circis celebrent puellæ,
Membra & ad molles numeros mouentem
Obtueantur.
Alter augendis opibus ſeneſcat,
Quidquid & tellus vtero recondit,

Ille in æratam ſtudioſus arcam
Congerat auri.
Non ego donis inhiabo Crœſi,
Blandiar cultis ego nec puellis,
Lata nec paſſis ego nauigabo
Æquora velis.
Non inhumani ſequar arma Martis,
Nec per vmbroſi iuga montis apros
Parthicis figam iaculis, in orbem
Non equitabo.
Aſt ego diuæ Themidos ſacerdos
In libris totas vigilabo noctes,
Publicè nec non iuuenes Quiritum
Iura docebo.
Caſtor hinc abſit procul, hinc Diana,
Qui manu telum gerit & tricuſpe,
Mars ferus, fallax Cytheræa, diues
Iuno recedant.
Me Themis legum foueat miniſtrum
Soluo dum Iuris laqueos, & adſit
Muſa, dum blandis ſociata Muſis
Carmina canto.

DE CORRASIO, ET ÆMILIO FERRETO IVRECONSVLTIS COEVIS.

Tantùm Corraſium decantat docta Tholoſa
Quantum Ferretum prædicat Auenio.
Nam tantùm Auenio Ferreto floruit olim,
Quantum Tectoſagum pulpita Corraſio
Stat, ſtante vrbe ſua Ferretus, ſtante Tholoſa
Corraſius, longos viuet vterque dies.

Corraſius nunquam corroſus dentibus æui,
Ferretus ferro durior Æmilius.

DE IACOBO CVIACIO I. C.

IVriſconſultus cuias Cuiacius? vrbe
Tectoſagum, vrbs tanto digna fuit ne viro?
Vrbs ea Iuſtitiæ cultrix, Iuriſque gemelli
Mater, quæ gremio pignora chara fouet.
Cur non iura igitur Cuiacius explicat illic?
Cur nec habet tantum tanta Tholoſa virum?
Ille ſatis lucet per ſe ſine luce Tholoſæ,
Vrbs que illa illius ſat ſine luce nitet.
Nec minus eſt dignus Cuiacius vrbe Tholoſa,
Quàm ſit tam digno digna Tholoſa viro.

AD MEAM STIPVLATIVAM Methodum.

FIlia quam media concepi nocte, laborans
Ingenio, indulgent dum reliqui genio.
Et quam parturij è cerebro non abſque dolore.
Pallas vt è cerebro fingitur orta Iouis.
Abdico te patrijs ſacris, te dedico multis,
Pulchra tibi addicet quos tua forma procos.
Linque patris gremium, te quando emancipo, confer
Teque aliò iuris filia facta tui.
Tu tibi nam poteris multos obſtringere verbis,
Atque tuum, quicquam ſi ſtipuleris, erit.
Dedecus atque decus quæras nihil ipſa parenti,
Sed tibi tu quæres dedecus, atque decus.

CARMEN POSITVM AD SEPVLchrum D. Hieronymi Romæ in collo Exquilino, & in ædibus ſanctæ Mariæ Majoris.

HVc oculos demitte tuos, clariſsime Doctor,
Nominis à ſacri nomine nomen habens.
En vt ego tendo duplices ad ſidera palmas,
En vt ego ſupplex numen adoro tuum.
Te colui diuum teneris ego ſemper ab annis,
Atque tui in noſtris oſsibus hæſit amor.
Cumque adoleſcentem me Gallia noſtra tenebat,
Libabam altari thura Sabæa tuo.
Et modo langueſcens ceſſabo in vota, preceſque
Hic vbi ſacra tui corporis oſſa iacent
Quin potius ſubito rapiar telluris hiatu,
Inſidens celeri Curtius alter equo.
Et Capitolinæ priùs alto è vertice rupis
Verſus aquas Tiberis præcipitatus agar.
Quàm tua ſupplicibus venerari numina votis,
Et precibus ceſſem ſollicitare meis.
Hic igitur procumbo tibi, genibuſque volutus,
Ante tuas aras nuncupo vota tibi.
Hic ſubit in mentem tua ſpectatiſsima virtus,
Et tua non vllo tempore lapſa fides.
Hic labor, hic probitas animo obuerſantur; & ingens
Doctrina in libris non peritura tuis.
Et nemora hirſuto vix inuenienda leoni,
Et qui tundebat pectora nuda ſilex.
Hic ego contemplor ſtudium pietatis auitæ,
Eloquij flumen, fulmen & hæreſeos.

Et vitam, & nullo pollutos crimine mores,
Et quæ complecti carmine Muſa nequit.
Hic ſecura meum prætentant gaudia pectus,
Lumina dum tumulo paſcere noſtra datur.
Oſſa Palæſtino Romam tranſlata ſacello,
Dum video, affectu me locus iſte mouet.
Atque auguſta mei venerarier oſſa patroni
Non ſine lætitia liberiore queo.
Saluete ô cineres, obeliſci marmore digni,
Vertice qui ſummo Cæſaris oſſa tenet,
Vos Mauſolæo digni ſaluete ſepulchro,
Moleue quam Tiberis perluit vnda fluens.
Tu verò fœlix, iterumque Hieronyme fœlix,
Quem tenet æterni regia magna Dei.
Tu per ſi qua tui reſidet tibi cura clientis,
Exaudi, ad tumulum quas tibi fundo preces.
Tu Regem exora ſupremum, & nomine ſolo
Quem refero, ad cœli ſidera ſerus eat.
Donec vt à tanto reſpiret Gallia luctu,
Et repetat ſtygios hæreſis aytra lacus.
Det mihi poſſe pedum nanciſci ſigna tuorum,
Det ſimiles animos, conſimileſque modos.
Concedat puris coniunctas moribus artes,
Nec vana æternus laude recedat honos.
Quæque ſub hoc tumulo veneror, nunc cernuus oſſa
Hæc eadem in cœlis vt ridiuiua colam.

D. O. M.

D. O. M.

D. HIERONYMO

S. R. E. CARDINALI ILLVSTRISS.
Doctor. Clariſſim. Hereticor. oppugnator. acerrimo ac Patrono ſuo Colendiſſ. cuius oſſa hûc olim è Paleſtina tranſlata fuerunt.

GVILIELMVS DV BLANC GALlus, Epiſcopus Vencienſis, & Graſſenſis, Sixtique V. Camerarius Honorarius intimus ex voto
D. D. D. C.

IN SPECVLVM, QVOD EXTAT Romæ in palatio Illuſtr. Cardinalis de Medicis in colle hortulorum, inquo effigies Coſmi Medicei ducis Ethruriæ, miro artificio ex aduerſa tabella in qua nihil tale depictum eſt, apparet.

Cernitur in ſpeculo ex varijs contexta figuris,
Quæ nuſquam eſt Coſmi viuidi imago Ducis.
Si propiùs ſpectes, acies eſt: longius at ſi
Inſpicias, acies luditur hac acie.
Namque vides Coſmi vultus, quos non habet aula,
Neſcio qui videam, meque videre ſcio.
Fallaces hominum ſenſus qui prodidit eſſe,
Fallaci non id prodidit ore Sophus.

Nam video quod non video: quod cernere poſſim
Id nihil eſt: viſus luditur arte meus.

IN IDEM SPECVLVM
Ænigma.

EST nihil, eſt aliquid: ſunt & complura, quod vnum eſt,
Qui videt hæc oculis, non videt ille tamen.
Expreſſum in tabula potis eſt quis cernere vultum,
Verùm nec vultus, nec tabula vlla ſubeſt.

IN CAMILLVM AGRIPPAM MATHEMATICVM, TRANSFERENDI OBELISCI AVCTOREM, EPIGRAMMA.

VNdenis tener Amphion ingentia chordis
Saxa mouet, blandam dùm mouet arte chelim.
Pyramidemque trahit multo dum fune ligatam,
Saxa etiam chordis doctus Agrippa mouet.
Saxa mouent ambo, ſed quantum diſpare chorda,
Ingenio tantùm diſpare ſaxa mouent.

IN PANIGAROLAM CONCIONATOrem Celeberrimum.

DVm Capitolini facundus in arce Tonantis
Fulgurat, affectus Panigarola mouet.
Sed quidni moueat? cùm, ſi Tarpeia rupes
Audiret, propria ſede moueret eam.

IN NIVEM QVAE ROMÆ MENSE IANVARIO CIↃ IↃ XXCVI. COPIOSA decidit, qualis ante annos viginti viſa non fuerat.

EPIGRAMMA.

DVM curua octipedis rubuêrũt brachia Cancri,
Roma emit gelidum tunc ſitibunda niuem.
Sic niue cùm totam nunc ſpargit Aquarius vrbẽ.
Vendere Roma poteſt, emit vt ante niuem.

IN LVPVM CONCIONATOREM ITALVM IN DICENDO VEHEMENTISSIMVM, EPIGRAMMA

VEra Dei ſoboles ſub ouina pelle rapaces
A grege diuino iuſsit abeſſe lupos,
Verùm Chriſticolis diuini pabula verbi
Roma miniſtrantem vidit vt ipſa lupum.
Sic effata, lupos en vt lupus iſte rapaces
Arcet, & vt Chriſti paſcit ouile lupus.

IN EVNDEM, DVM IN SCORTA ROMANA ACERBE INVEHITVR, EPIGRAMMA.

MAgnanimus fuluam leo non petit vngue leænam,
Infeſtam infeſtus nec canis ore canem.

Hirſutam hirſutus non irruit vrſus in vrſam,
Magnam Elephas magnus non Elephanta ferit.
Barbara Panthera à Pardo non læditur vnquam,
Sed lupus illæſas non ſinit ire lupas.

EPITAPHIVM VICTORIÆ Corambonæ vrſinæ.

Corambona fui coram bona, clam bona: ſed nunc
Nec clam, nec coram, nec bona, nec mala ſum.

IN TRACTATVM MANTICÆ coniecturis vltimarum voluntatum.

Qui bene coniiciat vatem hunc perhibere neceſſe eſt.
Dat coniecturis mantia ſepe locum.
Qui teſtatorum bene coniicit vltima ſenſa,
An non idcirco mantica mantis erit?

AD LAVRENTIVM GAMBARAM Brixianum, Poëtam Clatiſſimum.

EPIGRAMMA ET ANAGRAMMA.

LAVRENTIVS GAMBARA.
ERAT VRBI LAVS MAGNA.

Gambara, fatali quando tu morte peribis,
(Si tamen excellens morte Poëta perit)
Brixia ferali tam te periiſſe dolebit,
Quàm gaudet fauſto te genuiſſe die.
Aſt ego iuſta tibi peragam, inſcribamque ſepulchro
Hoc Epigramma gemens, hoc Anagramma gemens.
Hìc ſitus eſt celebris vates, cui Gambara nomen,
Cui natale ſolum Brixia, Apollo pater:

Ille ſuæ magnus dolor eſt nunc mortuus vrbi,
Vt qui MAGNA VRBI LAVS ERAT ANTE SVÆ.

AD CARDINALEM CAIETANVM.

Luſtrares ſacros cum Caietane receſſus,
Aonij obſtupuit turba nouena chori,
Vnum dumtaxat Phœbum credebat: at illi
Alter, te viſo, viſus Apollo fuit.
Mirari duplicem, Muſæ; deſiſtite Phœbum:
Sæpe etiam viſa eſt ſolis imago duplex.

ANAGRAMMATISMVS.

MARTINVS AB ASPILCVETA.
BEATVS COELVM ASPIRAT.

REſpirans iſto Martinus in orbe BEATVS,
In cœlum aſpirat, nec niſi celſa ſapit.
Expirans animam Martinus & ipſe BEATVS,
IN COELVM ASPIRAT, *nec niſi celſa ſapit.*
Viuens & moriens cœlis qui digna peregit,
Mortuus in cœlis ille beatus agit.

IN PVERVM CARENTEM AMBABVS manibus, & manuum munera pedibus obeuntem.

ORbus vtraque manu ſcripſit pro nomine nomen,
Anne ratum, proprio quod pede ſcripſit, erit?

In eundem.

Credideram prius artificem nihil edere fruſtra
Naturam, veteres vt docuêre Sophi.
Sed cùm Romulea mihi viſus in orbe fuiſſet,
Brachia truncatus proh dolor! ambo puer.

Qui laxum pedibus contendere nouerat arcum,
Qui tenuem filo conglomerabat acum,
Qui pede mittebat talos, haſtamque, globumque,
Quique dabat proprio verba notata pede:
Qui pede comprenſas epulas mittebat in ora,
Et pede ſumebat pocula plena mero.
Eſte procul, dixi, mendacia vana Sophorum,
Natura in vanum nil facit, imo facit.
Namque manus geminas fruſtra natura creauit,
Cùm poſſint manuum munus obire pedes.

In Romam, & Deam bonam.

Quæ nullum eſt venerata Deum vaniſſima quondam
Roma bonum, illa bonam cur venerata Deam?
An bona quòd quæuis videatur fœmina Romæ,
An mas ſit tota nullus in vrbe bonus?
Imò vt quæque bonam ſectetur fœmina Diuam,
Fœmina cùm mala ſit, mas ſit vbique bonus.

In Caium Menſarium.

Litterulas Gallis quas mittit amicus ab oris,
Perlatas Caius ponderat, vt numerem.
Litterulas is ſæpe leues, & mittit inanes,
Quas tamen hic trutina repperit eſſe graues.

In Effigiem Marſyæ.

Auſus cum Phœbo imprudens contendere cantu
Marſya, ſupplicio plectitur ipſe graui.
Exuitur pelle ad truncum religatus, & vnum
In toto miſeri corpore vulnus ineſt.
Diſcite mortales pietatem, & cedere Diuis,
Nam ſua & audacis pœna Gigantas habet.

IN LVPVM, TOLETVM, ET Panigarolam, Concionatores.

ME mouet ipſe Lupus, Toletus me docet ipſe,
Delectat ſenſus Panigarola meos.
O ſi quis moueat, doceat, delectet, & vnus
Fiant Toletus, Panigarola, Lupus.
Vt ramus triplex ramum coaleſcit in vnum,
Neſcio qui toto maius in orbe foret.

Ad Poſthumum.

Fortia bella canam, ſemper mihi Poſthume ſuades
Vita vt carminibus ſit diuturna meis.
Poſthume carminibus non donant viuere bella,
Sed bellis contra carmine vita datur.

In Ruffinum.

Quòd concinna breues pariat mea Muſa libellos,
Illos Ruffinus viuere poſſe negat.
Longa latet breuibus verbis ſententia, ſicut
Spiritus in paruo corpore magnus ineſt.
Grandia iampridem periêre volumina Marſi,
Sed Perſi nondum charta puſilla perit.
Pondere, non numero metitur carmina vates,
Longior eſt breuibus vita futura libris.

INSCRIPTIO PALATII Oratorum Regis.

HÆc ſua Legatis Regis palatia legat,
Et Regis coniunx, & Catharina parens,
Illa habitet quondam ſummi palatia Regis,
Quæ voluit Gallos hanc habitare domum.

DE LIBRO AQVARVM fœlicium.

DVm Lymphas Sixto, Sixtvs mihi vina rependit,
  An poterat vino gratior eſſe liquor?
Do Lymphas vitreas, mihi vina rubentia reddit,
  An poterat rubeo gratior eſſe color?

SIXTO V. PONTIF. OPT. MAX. meo Mecœnati munificentiſſ.

NOnus adeſt menſis ex quo me poßidet aula,
  Neſcio quid tandem ſit paritura mihi.
Si fuerit ſterilis faciam diuortia, verùm
  Cur ea iam nono nil mihi menſe parit?

EIDEM SIXTO V. PONT. OPT. MAX.

VT ſequerer Sixtvm *propria me ſponte vocantem,*
  Deſerui patriam, deſeruique domum,
Deſerui patruum, dona & ſatis ampla reliqui,
  Quæ patruus toties obtulit ante mihi.
Ergo mihi quid erit? tu qui me Sixte *vocaſti,*
  Quas ego deſerui, centuplicabis opes?

Cardinali Sarnano viro Doctiſſ. & Relligioſiſſ.

CVm ſacra ſupremi referas arcana Tonantis
  Tunc te Mercurium protinus eſſe reor.
Mercurius ſancto iungebat fœdere gentes,
  Tu Thomæ Scotum conciliare potes.
En tibi donauit Sixtvs, *Sarnane, galerum,*
  Mercurij inſignis namque galerus erat.

FINIS POEMATVM GVILIELMI DV BLANC

EPISCOPI GRASSENSIS, ET VENCIENSIS, SIXTIQVE. V. Camerarij Honorarij Sanctioris, dummodò extitiſſent ſua emblemata quæ Romæ emicant in Vaticano.

Dd

GVILIELMI
DV BLANC,

ECCLESIÆ THOLOSANÆ, ET
VNIVERSITATIS CANCELLARII,
Eccleſiæ Albienſis Præpoſiti,
Tholonenſium Epiſcopi,
& Auenionenſium
Prolegati.

VARIA POEMATA.

GVILIELMI DV BLANC,

THOLOSANÆ ECCLESIÆ, ET VNIVERSITATIS CANCELLARII, ECCLEſiæ Albienſis Præpoſiti, Epiſcopi Tholonenſis, & Auenionenſium Prolegati, Carmen Heroicum.

AD ILLVSTRISSIMVM IACOBVM Sabellum S. R. E. Cardinalem Ampliſſimum, Patronum Optimum.

VOS ô Pierides fautricia numina Vatum,
Quas colui ſemper teneris ſtudioſus ab annis,
Siue moram trahitis Parnaſſi in colle bicorni,
Siue Helicon vos altus habet, deſcendite curſu
Præcipiti, & celeres veſtro ſuccurrite Vati:
Verſibus Herois Heroëm dicere magnum,
Et genus, & nomen ducentem à gente Sabella
Fert animus, veſtrumque, Deæ, celebrate parentem.
Ille chori veſtri pater eſt, & Iuppiter alter
E cuius docto cerebro Tritonia Pallas
Proſiluit, quique ore ſacro ſua fulmina torquet.
Ille quidem iamdiu generoſo nomine notus,
Ac virtute ſua toto celeberrimus orbe,
Maximus & titulis veſtros non quærit honores,
Nec merita exponit veſtræ præconia vocis.
Nemque velut Titan alieno lumine nunquam

Amplificat proprium lumen:velut Albula Thuſcus
In mare Tyrrhenum plenis dum faucibus vndas
Euomit, acceptis illis non intumet æquor.
Sic etiam propria ſplendeſcens luce Sabellus
Non fit ſplendidior Phœbæo carmine:vel ſi
Illius in gremium ductos Helicone profundam
Pegaſeos fontes, non inde ampliſsima creſcet
Fama viri. At præſtat nunc illi debita ferre
Carmina, deuincti munuſcula grata clientis.
Forſan, vt eſt clemens, acceptum munus habebit,
Et placido ſumet vultu, quos offero verſus.
Roma caput mundi, terrâ, pelagoque triumphans,
Et pace, & bello celebris, populiſque regendis
Condita, deſpiciens ſeptem de collibus orbem:
Roma olim potuit ſtricto concurrere ferro,
Et ferre aërias victricia ſigna per Alpes:
Indomitis ratibus campos ſulcare liquentes,
Imperium regere, & populis dare iura ſubactis.
At nunc Roma iacet, tenebriſque ſepulta quieſcit:
Nec Romæ Roma eſt. Roma antiquiſsima Romæ
Nil niſi nomen habet, veſtigia nulla ſuperſunt.
Rudera ſunt hodie, quæ tecta ſuperba fuêre:
Atque vbi Roma fuit, ſeges eſt, & vinea, & hortus.
Nunc vbi ſunt Pario conſtructi marmore muri?
Nunc vbi ſunt cœlo minitantes vertice turres?
Heu vbi ſunt pontes? vbi nunc Tarpeïa ſedes?
Et tot Pyramides, tot decantata trophæa?
Sunt vbi ſanguinei ſpatioſa palatia Regis?
Et Mauſolæa miracula maxima molis,
Depoſita Auguſti quæ Cæſaris oſſa tenebat?
Nunc vbi ſunt thermæ? falſis vbi templa locata
Numinibus? vindex hæc omnia flamma vorauit,

Subuertêre hoſtes, aut longi dentibus æui
Nunc exciſa ruunt. vbi maximus ille Senatus,
Inſignes pietate viri, belloque, togaque
Præcipui Heroës? mors inuida ſuſtulit omnes.
,,Omnia mors ſoluit, proſternit & omnia tempus.
Iuppiter omnipotens moderator & vrbis, & orbis,
Qui tenet Empyrei conuexa palatia cœli,
Et qui regali terras de ſede iacentes
Deſpicit, abiectam vultum deiecit in Vrbem,
Atque fuit Romæ caſus miſeratus iniquos.
Tuque argumentis falſis, Epicure, docebas
Non eſſe hæc curæ cœleſtibus infima Diuis.
,,Diui habitant cœlum, ſed habent terreſtria curæ:
,,Atque homines ditione regunt, precibusque mouentur.
At pereant muri, pereantque palatia, dixit
Iuppiter, antiquæ maneat virtutis imago
Viuida, nec pereat Romanæ gloria gentis.
Effingendus enim nobis eſt maximus Heros,
Qui magnum auguſta referat grauitate Catonem,
Relligione Numam, qui maieſtate Metellum
Exprimat, Auguſtum clementia, & ore diſerto
Marcum, ac iuſtitia Brutum: qui polleat vnus
Romanæ gentis virtutibus omnibus: vnus
In ſe contineat quæ multi habuêre Quirites.
Qui genus antiquo præclarum à ſanguine ducat,
Qui ſit conſilio præſtans, aptuſque regendis
Gentibus, & Latiam dignus moderarier vrbem.
Vix ea finierat cùm nobilis ecce Sabellus
Prodiit in lucem, & claro caput extulit ortu,
Haud altier quàm cùm clariſsimus aurea manè
Cynthius Eoïs è fluctibus exſerit ora,
Diſcutit & tenebras, & mundum lumine complet.

Iamque ortus Romam decorat, patrioſque penates
Ille ſuis radijs illuminat: ille Catonem,
Pompilium, Auguſtum, Marcum, *Brutum, atque Metellum*
Exprimit: inque illo grauitas elucet, & ingens
Relligio, eloquium, facilis clementia, nec non
Regia maieſtas, geminique peritia iuris,
Innumeris illi repetitum nomen ab annis
Maiorum longa ſerie, monumenta librorum
Certa probant hodie: nam gentis origo Sabellæ
Secula ter nona excedit, biſquinaque luſtra.
Hic ego vos iterùm doctæ compello ſorores:
Per ſi qua eſt vobis veſtri pia cura Poëtæ,
Qui toties veſtris Panchaïa thura ſacellis
Libauit, preßitque ſuis altaria donis.
Si genus Heroum celebraſtis carmine culto,
Et veſtrum precibus numen ſi flectitur vllis,
Pandite, Pegaſides, mihi nunc Heliconia Tempe:
Adſpirate, precor, cœptis, cantuſque mouete,
Quæ fuerint generis primordia vera Sabelli,
Tempore quo, quibus in terris, quis ſanguinis auctor,
Et quæ progenies fuerit: quibus inclyta ſemper
Floruerit gens iſta viris: quos geſſerit orbi
Pontifices, patriæ Heroas, diuoſque Sabellos
Intulerit cælo: vos hæc memorare poteſtis.
Amphitryoniades quondam paſtore triformi
Edomito, venit Laurentia victor in arua.
Hic erat infamis Tyberino in gurgite prædo,
Collis Auentini quem poſt ſua furta cauernis
Celabat multos incædua ſylua per annos.
Dictus erat Cacus, Vulcani barbara proles,
Quem bouis incluſæ mugitus prodidit: illùc
Acceßit, tantumque ſcelus non paſſus inultum,

Alcides Cacum proprio mactauit in antro.
Tunc omni omninò cumulatus laude quieuit
Pauliſper, longo poſt parta labore trophæa,
Cùm ſubitò deſes Rheæ ſuccenſus amore
Incaluit, parui ſenſitque Cupidinis ignes.
Horrida qui propria virtute ſubegerat antè
Monſtra, poteſt arcu puer illum vincere nudus,
Nec mora, compreſſit Veſtam, Zonamque recinxit.
Illa nouo ſenſit tumefactum pondere ventrem.
Iamque aderat nonus menſis, cùm Rhea Sacerdos
Monte in Auentino furtiuos edidit ortus.
Nomen Auentino puero fuit: Ille vbi creuit,
Et prima ornauit vultus lanugo ſerenos
Martis opus didicit, patriaſque exercuit artes.
Qualis & in medijs ſyluis altiſſima ſurgit
Pinus, & intonſum ſuperis caput inſerit aſtris,
Ac ſummo reliquas excedit vertice frondes.
Talis Auentinus primæuo flore iuuentæ
Apparet, ſuperatque ſua virtute coæuos,
Siue manu lubeat torquere haſtilia, ſiue
Per iuga montis apros leuibus transfigere telis:
Siue velit pugnæ ſimulachra ciêre ſub armis,
Martis & effigiem patrio colludere more:
Siue velit certos frænatum flectere in orbes
Quadrupedem, & crebris fodiens calcaribus armos,
Veloces rapido ventos præuertere curſu.
Inque illum varias congeſſit prodiga dotes
Natura: ille animo fortis, membriſque vigebat,
Cæſarie crocea inſignis, vultuque decoro.
Interea Æneas poſt diruta Pergama flammis,
E medio portans ereptos igne Penates,
Et quærens fatis ſibi debita regna Latina,

Auſonios portus ingenti claſſe petebat,
Multa diu pelago paſſus Iunonis ob iram.
Iam Tyberina rates intrarant oſtia Teucræ,
Et iam Dardanidæ pede littora tuta premebant,
Luctiſica Alecto cùm belli crimina ſæuit:
Æneadas, Rutuloſque in mutua vulnera truſit.
Rex Albanorum patriæ non degener artis
Fortis Auentinus properat cum pube Sabella:
Addit ſe comitem Turno pro virgine Amatæ,
Externaſque parat Laurento arcere carinas,
Et ſæuas conferre manus pro Rege Latino.
Centum angues inerant clypeo, contuſaque clauâ
Hydra inerat, magni præclarum inſigne parentis.
Sed fruſtra clypeum, fruſtra arma gerebat, & enſes:
In Latium profugos Troianos fata trahebant.
,,Fruſtra quicquam homines aduerſo nomine tentant.
Ferro namque furens, & multa cæde cruentus
Dum Rex Herculeus medios ferretur in hoſtes,
Proh dolor! accepto reſupinus vulnere, ſyluâ
Collis Auentini cecidit: ſeceſſit in auras
Spiritus, & gelidum iacuit ſine ſanguine corpus.
Mons & Auentinus nomen deduxit ab illo,
Cui prior hic dederat cunas, & triſte ſepulchrum.
Ille Sabellorum primus fuit: inde Sabelli
Sunt & Auentini communi nomine dicti.
Regio origo fuit: Diuo ſatus Hercule princeps.
Et tibi maieſtas, Iacobe, eſt regia: mens eſt
Diuina, æthereas tantùm quæ ſuſpicit arces.
Quid memorem proauos equites, ea fulmina belli
Dextera confertos quorum eſt ſpectata per hoſtes?
Quidue ſenatorem Pandulphum carmine dicam,
Qui quoties armis eiecti ex vrbe furebant

Ee

Prædones, toties iniecit vincula captis,
Aut retulit Romam caput à ceruice reuulſum,
Et fuit infeſto patriam tutatus ab hoſte?
Impia gens hominum, nigroque ſimillima coruo
Intercludet iter, prædabitur omnia, ferro
Sæuiet & flammis, niſi paſcat in arbore coruos.
Quòd ſi Pandulphus ſuperas remearet in auras
Tartara latrones ageret rediuiuus ad ima,
Si modò latrones admittere Tartara vellent.
Verſibus anne meis te, Guido Sabelle, tacebo,
Herculeas cuius teſtatur Corſica vires
Inſula, & agnoſcit patrem, laudeſque recenſet?
Nam tu Barbaricas acies, & Maura tremendus
Agmina fudiſti. Hæc per te viget hoſte fugato.
Te ne etiam miſſum faciet mea Muſa, ſenator
Scipio, qui dudum Godifridi ſigna ſequutus
Iuſta Palæſtinis mouiſti prælia in oris:
Iordanemque Afro tinxiſti ſanguine, donec
Vidiſſes ſacris iterùm ſacra reddita terris.
Scipiadas ſic Roma duos fœcunda tuliſti
Tempore diuerſo, bellis atrocibus ambos
Inſignes, Afri victores agminis ambos.
Sed quantùm debes illi tu Roma Sabello,
Qui ſacrum Solyma ſtrophium portauit ab vrbe,
In quo diuini effigies Veronica vultus
Apparet, noſtræ monumentum inſigne ſalutis.
Nec minus, ô Veneti, terraque marique potentes,
Deuincta eſt Paulo Reſpublica veſtra Sabello,
Qui poſtquam Siculo cupiens ſuccurrere Regi
Trinacriam ſæuo tutatus ab hoſte fuiſſet,
Militiæ veſtræ præfectus ad arma coiuit,
Vrbes obſedit varias, & caſtra locauit:

Veronam, atque vrbem Patauì virtute recepit,
Vnde illi meritò ſtatuam ſtatuiſtis equeſtrem.
Nec numeris Baptiſta meis indictus abibit
Magnificus prorex, bello ſpectatus, & armis,
Quem Cæſar, felix Eccleſia, Patria, Papa,
Contra Lautrecum, Hæreticos, Borbonium, Etruſcos,
Miſit, præfecit, firmauit milite, legit,
Vt gladio, clypeo, Caſtelli carcere, caſtris,
Seruaret, tegeret, laxaret, prenderet, altam
Parthenopen, aras, Clementem, mœnia Thuſca.
Sed nec parua tamen Baptiſtæ gloria venit
Quòd tibi vitales, Iacobe, afflauerit auras.
Prole fuit tanta gentior non dignior alter,
Patre fuit tanto nec dignior altera proles.
Hæc & Auentinæ priuata eſt gloria gentis,
Quòd tria cum ternis labentia ſecula luſtris
Tempore ſidereus Titan exegit ab illo,
Quo fuit à ſummo ſacrarum præſide rerum
Iuris dicendi Fabio conceſſa facultas,
Et ſerie æterna ſeris pronepotibus olim.
Quin etiam Romæ poſtquam eſt dilapſus in auras
Maximus Antiſtes, cùm iuſta peracta ſepulto,
Cùm vacua eſt Petri ſedes: è ſtirpe Sabella
Vnus in anguſtum Patres conclaue coactos
Concludit, claueſque tenet, victumque miniſtrat:
Quem penes eſt ſacri ſeruandi cura Senatus,
Vnanimum donec ſuffragia plurima Patrum
Concurrant, iunctique legant è pluribus vnum,
Qui totum ſacris moderetur legibus orbem.
Sed geminas Iani portas compagibus arctis
Vincire, & Diuæ reſerare ſacraria Pacis
Nunc iuuat, ac celebres adducere pace Sabellos.

Antiſtes varia præſtans Aurelius arte
Occurrit, Phœbo, Muſis, & Palladi gratus,
Qui potuit rerum occultas cognoſcere cauſſas,
Naturæ artificis retruſas pandere vires,
Et ſacra diuinæ myſteria noſcere legis.
Qui quamuis nona à Chriſti non viderit ortu
Secula, præuentus fato, tectuſque ſepulchro:
Scripta tamen, doctique libri quos edidit olim,
Funeris expertes viuunt, cinerique ſuperſunt.
Nomen & æternum per ſecula multa manebit.
Carmine quid celebrem ſenos è gente Sabella
Pontifices, celſa qui Petri in ſede locati
Totius quondam rexerunt Orbis habenas?
Primus Liberius primus, quo ſanctior alter
Non fuit in terris: Mariæ qui templa locauit
Hìc vbi nix collem nonis Sextilibus album
Texerat, arentes cùm Sirius vreret agros.
Nobilis Eugenius primus poſt ſecula terna
Illi ſucceſſit, ſolioque reſedit in alto:
Sanguine Auentino cretus, vir largus egenis,
Munificus Clero, velox ad præmia, tardus
Ad mulctam, & pœnas, quo non clementior vllus.
Nomine reque ſimul Benedictum Roma ſecundum
Prædicat, at verò nulli pietate ſecundum
Laudibus & ſobolem tollit ſuper aſtra Sabellam.
Namque bonis varias ſociauit moribus artes:
Ingenio æquauit vitam, dubiumque reliquit
Moribus, an Muſis fuerit præſtantior. Ille
Templa inſtaurauit grauibus collapſa ruinis;
Marmore Mygdonio ornauit, Phrygijſque columnis.
Tantam & ſuſpiciens probitatem in præſule tanto
Conſtantinus, ei conceſſit lege perenni

Pontificem vt Clerus legeret ſine Cæſaris vllo
Conſenſu, neque vox Exarchi pondus haberet.
Nec te Gregori, fas eſt reticere, ſecunde,
Qui ſacras multis reparaſti ſumptibus ædes,
Romuleamque nouis cinxiſti mœnibus vrbem:
Germanos ſacris lauiſti fontibus: in ſe
Vibrata Hæreticus ſenſit tua fulmina Cæſar.
Tertius à multis ſuccedat Honorius annis:
Centius hic Petri cenſus, & maxima iura
Sedis Apoſtolicæ ſcripſit ſermone Latino:
Cuius adhuc cultum ſibi Vaticana reſeruat
Bibliotheca librum: ad gentes mittenda remotas
De varijs Decreta dedit quàmplurima rebus,
Quæ legimus ſacri concluſa in corpore Iuris.
Ac velut incedens per prata virentia paſtor,
Lanigeræ paſcuntur oues, dum gramine molli
Pollice diſperſos proprio legit vndique flores,
Et lectos filo ſertum conſtringit in vnum.
Sic vaga Pontificum primus Reſcripta priorum
Centius exhibuit, collecta volumen in vnum,
In quinos digeſta libros, pluresque rubricas:
Ex quibus orta fuit noſtri pars maxima Iuris.
Quartus Apollinea celebretur Honorius arte,
Vir bonus, & prudens, ac longo præditus vſu
Rerum humanarum, tamque amplo munere dignus.
Hunc, Iacobe, refers Iacobum nomine, necnon
Moribus: atque vtinam referas hunc munere quondam.
Hìc ego ter denos vellem memorare Sabellos
Auguſtos proceres, quos olim Eccleſia vidit
Indutos Tyrio ſaturatam murice veſtem,
Innumeroſque meo paſtores dicere verſu.
Sed terras humiles ſublatus in aëra linquo

Et cæli empyreas rapior ſublimis in arces:
Hìc ego concipio Caio pia vota Sabello,
Qui vitam vera pro relligione profudit
Tempore Traiani, conſeruatoris Ieſu
Martyr, & à ſummo Præſul Paſtore creatus.
Hìc ego te pronus veneror, peregrine Sabelle,
Qui primus Roma Gallas Legatus in oras
Veniſti Præſul: fuſo qui ſanguine Chriſtum
Teſtatus, Chriſti regnum delatus in iſtud
Diuino paſcis felicia lumina vultu.
Teque etiam hìc celebro, virgo Lucina Sabella
Quæ toties olim ſanctorum occiſa ſepulchro
Corpora mandaſti: duplicis fundamina templi
Iecisti viuens: & Clerum proxima morti
Summis hæredem ſcripſiſti ex aſſe tabellis.
Qua ratione tibi infenſus Maxentius atrox
Finibus à patrijs iuſsit pauliſper abeſſe.
Nunc patria æterna frueris, nunc aurea luces
Lucina, & cæli lata ſpatiaris in aula.
Incedit quocunque agnus, veſtigia ſeruas
Virgo nitens, ſacra ſponſa Dei, Chriſtique cohæres.
Hìc etiam ſupplex Gauinum imploro Sabellum
Pectore qui forti Sardoïs paſſus in oris
Morte ſibi vitam peperit: cæleſtia pœnis
Diuorum numero adſcriptus tibi ſceptra parauit.
Adſeruat cineres vrbs Turritana beatos,
Illius, & celebrat ſolennia feſta quotannis.
Solus ego deſes ceſſabo in vota, preceſque?
Sed quis adeſt niueo corpus velamine tectus
Greſsibus incedens tardis, veſtigia firmans
Innixus baculo aurato, mitraque bicorni
Tempora præcinctus? Coniecto hunc eſſe Marinum

Stirpe Sabella ortum, qui primus præſuit vrbi
Magnificę Præſul, trifidis quam fluctibus ambit
Corniger Eridanus, populoſque inſtruxit inertes.
Huic comes incedit conſanguinitate propinquus
Diuus Manſuetus, vir manſuetudine plenus,
Et Mediolanæ ſacer Archiepiſcopus vrbis,
Ah! feror in præceps, & terras mittor in imas
E ſuperis domibus, liquefactis Icarus alis.
Me capit infelix variarum obliuio rerum,
Atque ſoporiferum Lethes demergor in amnem,
Non aliter quàm cùm Acteus tradebat Athenis
Æternas animas in cœlis omnia noſſe.
Sed deturbatas huius loca in infima terræ,
Carcere & incluſas humani corporis arcto
Percuſas regione noua, caſuque repenti
Nullius meminiſſe rei, nullius & artis.
Haud igitur poſſum reliquos memorare Sabellos
Immemor, & tantæ percurrere ſtemmata gentis.
Quòd ſi Cerneadis, Cyneæ, aut Theodectis inanes
Elyſijs campis Cillenius euocet vmbras,
Et memores animas in corpora noſtra reducat
(Sicut vana fuit Samij ſententia quondam
Pythagora) nec adhuc omnes memorare Sabellos,
Vel longo innumeros complecti carmine poſsim.
Sed quid ego hæc? animum quæ cura fatigat inanis?
Immortalis honos Jacobi, & ſplendida virtus
Nullas maiorum ſtatuas, laudeſue requirit,
Nec tam illum celebris virtus demonſtrat auorum,
Quàm propria commendat auos virtute Sabellus;
Nam ſi Relligio præclaras efficit vrbes,
Priuataſque domos, quis relligioſior illo?
Si Pietas, ab auis pietatem accepit, vt hæres:

K
1
62